



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Tractatvs Nonvs. De gratia actuali, eiusque necessitate, & concursu ad  
actus salu[t]ares.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

sunt sufficientes, tamen communiter nomine gratiæ sufficientis sine addito solet intelligi gratia inefficax, ideoque gratia solet diuidi in sufficientem, & efficacem, nomine sufficientis intelligendo gratiam inefficacem. Nos ad vitandas æquiuocationes, cum nomine gratiæ sufficientis intelligemus inefficacem, vocabimur illam purè sufficientem; cum intelligemus genus commune gratiæ efficaci, & inefficaci, vocabimur illam gratiam sufficientem, genericè.

3. Gratia genericè sufficientis ad non peccandum potest subdividi in sufficientem solum physicè, & in sufficientem moraliter. Gratia solum physicè sufficientis est, per quam possumus aliquid, sed cum tanta difficultate, vt nemo, vel penè nemo cum æquali difficultate illud faciat. Gratia moraliter sufficientis est, cum qua possumus aliquid cum tanta facilitate, vt cum æquali plures illud faciant. Ex. gr. habemus gratiam solum physicè sufficientem ad vitanda omnia peccata venialia, per longum tempus, quia ita est difficile vitare omnia peccata venialia per longum tempus, vt cum æquali difficultate nemo vitauerit, vitet, aut sit vitaturus, iuxta illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*. Beata enim Virgo vitauit peccata venialia per totam vitam, quia cum præuenta fuerit gratia vberiori, quam alii Sancti, habuit potentiam etiam moralem illa vitandi. E conuerso habemus gratiam moraliter sufficientem ad vitandum per totam vitam omnia mortalia, quia licet id sit difficile, tamen multi cum æquali difficultate per totam vitam non peccant mortaliter.

4. Gratiam solum physicè sufficientem, ad vitandum omnia venialia agnouit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 6. & 7. in quibus ex professo probat hominem posse quidem per totam vitam nunquam peccare, sed de facto omnes aliquando peccare. Rationem verò, cur nemo sit, qui nunquam peccet, cap. 3. desumit ex summa difficultate coniuncta cum potentia physica non peccandi, dicens contra Pelagianos. *Acuerentem sibi videntur dicere, quasi nostrum vultu ignoret, quod si volumus, non peccamus, nec præcipere Deus, quod esset humana impossibile voluntati. Sed hoc non vident, quod ad nonnulla desideranda, vel que malè præcipiuntur, vel que malè metuuntur, magnis aliquando, & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfecisse in omnibus adhibitueros esse præuidit, qui per Prophetam psalm. 14. veridicè dicit, non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro.*

5. Huic doctrinæ Augustini docentis posse hominem esse sine peccato, & tamen neminem fuisse, vel fore sine peccato, videtur contradicere Hieronymus, qui Epistola ad Crephontem propè finem agens contra Pelagianos dicit. *Rogo, qua est argumentatio, posse esse, quod nunquam fuerit, posse fieri, quod nullum fecisse testis: idemque fufius sub Persona Attici representantis Catholicum disputantem contra hæreticum Pelagianum, vrget lib. 1. Dialog.*

contra Pelagianos, circa initium. Sed dicendum, quod Hieronymus negat dari potentiam moralem ad id, quod nunquam fit: Augustinus admittit solam potentiam physicam, adeoque non sunt contrarij.

## TRACTATUS IX.

## De gratia actuali, eiusque necessitate, &amp; concursu ad actus salutares.

S. Thomas 1. 2. qu. 109.

I. **Q**uestione 57. diuisimus gratiam, in gratum facientem, & gratis datam, ac breuiter egimus de gratijs gratis datis. Sequitur, vt fufius agamus de gratia gratum faciente. Et quia gratia gratum faciens ex dictis quæst. 58. diuiditur in actualem, quæ consistit in actualibus auxilijs supernaturalibus, præsertim illuminationum, & inspirationum, quibus Deus nos mouet, & adiuuat ad faciendos actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ, & habitualem, quæ consistit in habitibus supernaturalibus fidei, spei, charitatis, & gratiæ sanctificantis, & aliarum virtutum infusarum: ideo primò in hoc 9. tractatu agemus de gratia actuali, ac de eius necessitate. Tractatu 10. agemus de gratia habituali iustificante, & sanctificante. Tractatu 11. de merito, qui est effectus gratiæ.

2. Agentes igitur de gratia actuali primo referemus errores hæreticorum: secundo illos reijcientes ostendemus necessitatem gratiæ actualis: tertio probabimus diuinam gratiam præuenientem consistere præsertim in pijs cogitationibus, ac sanctis inspirationibus, eamque concurrere immediatè cum libero arbitrio non solum moraliter, sed etiam physicè ad actus salutares: quarto demum explicabimus, quo pacto pijs cogitationibus, & sanctis inspirationibus conueniant ea, quæ Scripturæ, & Patres tribuunt gratiæ præuenienti, nimirum quo pacto Deus per pijs cogitationes, & inspirationes faciat, vt faciamus, operetur, vt velimus, & det ipsum velle, exerceat partes præcipuas in producendis actibus supernaturalibus, trahat, & moueat nos, ac discernat pijs ab impio. Agentes porrò de gratia præueniente, abstrahimus semper à quæstione, in qua quæritur, vtrum sit efficax intrinsecè, vel extrinsecè, siquidem de ea per Pontificias constitutiones disputare non licet, & solum explicamus ea, in quibus contra hæreticos conuenire debent auctores vtriusque sententiæ.

## QVÆSTIO LXIII.

## De Erroribus Pelagianorum.

1. **P**elagius natione Britannus, professione Monachus, acerrimo ingenio præditus, & ante hæresim, teste Augustino lib. 3. de peccat. merit., & remiss. cap. 10. existimatus vir sanctus, & non mediocri perfectione Christianus, iam senex circa an. Dom. 405. lapsus est in hæresim, eiusque lapsum deploravit Chrysostomus tunc exul in quadam Epist. ad Olympiadem. Pelagij errores Cælestius eius discipulus sic est sequutus, ut diu ante magistrum in quadam Concilio, vel potius Iudicio Carthaginensi damnatus sit an. 413. Vnde factum est, ut corpus hæresis non solum Pelagiana, sed etiam Cælestiana vocata sit, ut dicit Augustinus lib. de hæres. hæres. 88. Post damnatum in Africa Cælestium anno Dom. 415. in Palestina, ubi tunc degebat, apud Concilium Diospolitianum à duobus Episcopis Gallis accusatus est Pelagius, illique obiecti sunt plures errores, quos refert Augustinus epist. 106. ad Paulinum, & latius lib. de gestis Pelagij, qui habetur apud Suarium tom. 1. de gratia, proleg. 6. Ut igitur colligatur ex Augustino locis citatis, & lib. de hæres. hæres. 88. errores Pelagij sunt sequentes. Primo docuit Adamum etiam si non peccaret, fuisse moriturum, ac proinde mortuum esse, non in penam peccati, sed ex conditione naturæ. Secundo docuit peccatum Adæ nocuisse ipsi soli, non autem generi humano. Tertio docuit infantes nasci in eo statu, in quo fuit Adam ante peccatum, ac proinde non contrahere peccatum originale. Docuit consequenter mortem, concupiscentiam, & alia mala, quæ patimur, non esse penas peccati, sed conditiones naturæ. Quarto docuit infantes esse baptizandos, non ut mudentur à peccato originali, sed ut admittantur in regnum Cælorum, ac proinde si moriantur sine baptismo, non admitti ad regnum Cælorum, sed extra regnum habere vitam quandam beatam, & æternam. Quinto docuit homines posse per vires naturales liberi arbitrij obseruare omnia mandata diuina, & mereri regnum Cælorum sine adiutorio gratiæ. Hinc ut notat Suarius tom. 1. de gratia proleg. 5. cap. 2. §. 3. & seqq. Pelagius videtur negasse omnem supernaturalitatem actuum liberorum. Actus enim supernaturales sunt, ad quos liberum arbitrium non sufficit per vires naturæ: sed Pelagius docuit liberum arbitrium per vires naturales sine adiutorio gratiæ posse obseruare omnia præcepta, ac proinde posse credere, sperare, & diligere Deum prout oportet ad salutem, & ad merendum regnum Cælorum; ergo &c. Sexto cum fuisset increpatus, quod negaret Deum dare adiutorium gratiæ ad obseruanda præcepta, docuit Deum dare adiutorium gratiæ

ad hoc, ut quæ possumus difficilius obseruare per liberum arbitrium facilius possumus implere per gratiam, adeoque concessit gratiam quæ solum daret facile posse, non autem daret simpliciter posse. Septimo dum oportebatur, quod nullo pacto sine gratia possumus obseruare omnia præcepta, concedit hoc, sed nomine gratiæ intelligebat imper liberum arbitrium, quod quia à Deo nobiscum datur gratis, ac nullis præcedentibus meritis vocabatur gratiam. Octauo nomine gratiæ quæ liberum arbitrium adiuuatur ad facilius obseruanda præcepta, intelligebat gratiam quam externam, puta legem, aut disciplinam, quæ Deus nobis ostendit, & reus quid nos facere debeamus, promissionibus nobis pollicetur præmia æterna, exemplum Christi &c. Negabat autem veritatem internam, quæ Deus intellectum inuenit, & voluntatem moueat, atque inflat per charitatem diffusam in cordibus nostris præsertim negauit gratiam internam, quæ Deus moueat voluntatem. Nono hanc gratiam, quæ facilius possumus implere præcepta, docuit dari vnicuique secundum meritum, ne Deus sit acceptor personarum. Decimo docuit non esse liberum arbitrium, si indiget adiutorio, ideoque ut docet Beatus Augustinus lib. 4. de gratia, cap. 3. & Abulensis in Maxima quæst. 173. Pelagius videtur docuisse Deum non concurrere ad actus liberos, quia eo quod Deus concurreret, non essent liberi. Per hoc autem destruebat orationes, quæ citantur in Ecclesia, siue pro infidelibus, ut conuertantur, siue pro fidelibus, ut in fide, & persevererent, siquidem contendebat homines à se ipsis, & non accipere à Deo. Unde docuit iustos in hac vita per vires liberi arbitrij peruenire ad hoc, ut nullum omnino committant peccatum, ne veniale quidem, quod ex iis, qui ad hoc perueniunt, componitur Ecclesia Christi, quasi non sit Ecclesia Christi, quæ in toto orbe terrarum clamat ad Deum quotidie: *Dimitte nobis debita nostra*. Decimo docuit non vincere tentationes ex libero arbitrij, non ex diuino adiutorio. Decimo tertio docuit, quod peccantibus veniam non daretur secundum gratiam, & misericordiam, sed secundum meritum, & laborem eorum, qui per penitentiam digni fuerint misericordiam, ac proinde videtur docuisse posse liberum arbitrium per proprias vires mereri remissionem peccatorum, etiam mortalium. Decimo quarto docuit diuites baptizatos, misericordiam renunciauerint, si quid bene videtur facere, non imputari illis, nec posse ad regnum Dei.

2. Ex his patet hæresim Pelagianam esse necessitatem redemptionis, & meritum Christi. Si enim dixit Apostolus ad Galatas 3. *Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est?* à fortiori possumus dicere: si per vires naturales liberi arbitrij possumus consequi penitentiam

justitiam, & mereri regnum Calorum; ergo Christus gratis mortuus est. Hinc est, ut teste Cassiano lib. 1. de Incarn. cap. 3. & lib. 3. cap. 1. Pelagiani docuerint Christum venisse, non ad præstandam humano generi redemptionem, sed ad præstanda bonorum actuum exempla. Imò eò progressi sunt, ut docuerint Christum à natiuitate fuisse purum hominem, ac per vires naturales arbitrij ita sanctè vixisse, ut mererit fieri Filius Dei, & nos etiam per vires arbitrij posse peruenire ad æqualem cum Christo dignitatè; quem errorem, quod Christus à natiuitate fuerit purus homo, sequuti sunt deinde Nestoriani, ideoque Cassianus locis cit. & Prosper in Epitaphio heresis Pelagianæ, & Nestorianæ testatur hæresim Nestorianam fuisse filiam Pelagianæ.

3. Errores Pelagianorum damnati sunt primò in Concilio prouinciali Diospolitano Palestinae, in quo Pelagius ipse, ne anathematizaretur, ipsos anathematizauit, licet deinde, teste Augustino lib. de hæres. 88. scriptis posterioribus eisdem errores pertinaciter docuerit. Damnati sunt deinde in quibusdam Concilijs prouincialibus, & nationalibus Africae, quibus interfuit S. Augustinus, ac contra errores Pelagij constituti sunt octo Canones, qui circumferuntur sub nomine Concilij Mileuitani. Damnati sunt iterum ab Innocentio I. & à Zosimo eius successore, qui Pelagium, & Caestium excommunicauit, & declarauit hæreticos. Damnati deinde sunt à Concilio generali Ephesino, in quo Pelagiani simul cum Nestorianis, cum quibus societatem inierant, proscripti sunt. Damnati sunt rursus à Caestino I. in Epist. ad Episc. Gall. & à Concilio Arausicano II. tempore Sancti Leonis, vel potius Felicis IV. in Gallia celebrato, ac demum à Concilio Tridentino sess. 5. & 6.

### QVÆSTIO LXIV.

*De Erroribus Prædestinatio-  
rum, Lutherano-  
rum, & Iansenistarum.*

1. Hæresis Prædestinatio-  
rum videtur  
ortum habuisse in quodam Africae  
Monasterio, quod Adrumetinum vocabatur.  
Ut enim refert Augustinus epist. 46. & 47. cum  
quidam Florus Monachus illius Monasterij  
prælegeret Epistolam 105. Augustini ad Six-  
tum, & difficillimam quæstionem de gratia,  
& libero arbitrio enotare conareret, quidam  
Monachi, non satis eum intelligentes, prolap-  
si sunt in errorem Pelagiano extremè contra-  
rium, & ceperunt ita gratiam confiteri, ut  
negarent liberum arbitrium, & adderent,  
quod Deus in die iudicij non sit redditurus  
vnicuique iuxta opera sua. Hoc audito, Au-  
gustinus ad Monachos illius Monasterij scrip-  
sit librum de Gratia, & Libero Arbitrio, quo  
lecto, correcti sunt, sed quidam ut Augusti-

nus refert lib. 2. retract. cap. 67. cepit asserere,  
quod quandoquidem non possumus non pec-  
care, nisi Deus per gratiam dederit, ut non  
peccemus, orandus est Deus, ut per suam gra-  
tiam faciat nos abstinere à peccatis; cum au-  
tem peccamus, non sumus corripendi, ac re-  
prehendendi, ideoque Augustinus ad eisdem  
Monachos scripsit librum de Correctione, &  
Gratia, in quo ostendit, quod & orandus est  
Deus, ut faciat nos non peccare, quia non  
peccare est donum Dei, & corripendi sunt  
qui peccant, quia voluntariè, & liberè pec-  
cant.

2. Eisdem errores docuerunt etiam in  
Gallia, qui vocati sunt Prædestinatiani, qui ut  
refert Siebertus in Chron. ad an. Christi 415.  
ex scriptis Augustini sumpserunt occasionem  
errandi, ac dicendi diuinam prædestinatio-  
nem, & gratiam auferre liberum arbitrium,  
ac proinde nec piè viuentibus prodesse bona  
opera, si sint reprobi, nec praua opera obesse  
peccantibus, si sint prædestinati. Videri po-  
test Petrius lib. 9. de Deo c. 2. in quo ostendit  
verè extitisse hæreticos Prædestinianos,  
ac falsam esse coniecturam Iansenij, qui lib. 3.  
de hæres. Pelag. c. vltimo docet Prædestinianos  
hæreticos nunquam extitisse, sed hoc nomine  
per calumniam à Semipelagianis vocatos  
fuisse Prosperum, & Hilarium, aliosque ca-  
tholicos defensores doctrinæ S. Augustini.  
Eundè errorem, quod gratia impediat vsum,  
& indifferentiam liberi arbitrij, sequuti sunt  
deinde Lutherani, Caluinistæ, Baiani, & Ian-  
senistæ, & damnati sunt à Tridentino sess. 7.  
cap. 4. 5. & 6. à Pio V. & Gregorio XIII. Bulla  
contra Baium, & Urbano VIII. Innocentio X.  
& Alexandro VII. in Bullis contra Iansenium.

### QVÆSTIO LXV.

*Proponitur doctrina Catholica contra errores  
Pelagianorum, & Prædestinatio-  
rum &c.*

1. **R**elatis erroribus Pelagianorum, Præ-  
destinatio-  
rum &c. per varias con-  
clusiones proponenda est doctrina catholi-  
ca illis contraria. Dicendum igitur primo;  
Adam si non peccasset, non fuisset mortuus,  
ac proinde mortuus est, non necessitate natu-  
ræ, prout fuerat de facto creata, sed in pœnam  
peccati. Probat Augustinus lib. 1. de peccat.  
mer. & rem. c. 2. Nam Genesis secundo Deus  
Adæ dixit: *In quacunque die comederis ex eo, mor-  
te morieris*; ergo Adam mortuus est in pœ-  
nam transgressionis. Respondebat Pelagius  
Deum per illa verba comminatum esse mor-  
tem spiritualem animæ, non autem mortem  
materiam corporis. Reijcitur ab Augusti-  
no; nam illam mortem Deus comminatus est,  
ad quam post transgressionem Gen. 3. damna-  
uit Adamum, dicens: *Pulvis es, & in puluerem  
reuerteris*; sed damnauit Adamum ad mortem

corporis, quod solum in puluerem reuertitur; ergo &c. Confirmatur 1. ex Apostolo ad Rom. 8. ubi dicit: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, quo loco adducto c. 4. libri citati, Augustinus dicit: Puto, quod non expositore, sed tantum leſſore opus habeat tam clara, & aperta ſententia.* Confirmatur 2. nam Sap. 2. dicitur: *Deus creauit hominem inextermabilem, inuidia autem diaboli mors ingreſſa eſt in orbem terrarum.*

2. Dicendum ſecundo: peccatum Adæ non ipſi ſoli nocuit, ſed toti generi humano. Probat: nam Eccl. 25. dicitur: *Ex muliere initium factum eſt peccati. & per illam omnes morimur: 1. ad Corinth. 15. Per hominem mors, & per hominem reſurrexio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes uiuificabuntur; ergo ſicut Chriſti iuſtitia profuit non ſolum ipſi, ſed toti generi humano, cui meruit etiam reſurrexionem corporum, ſic Adæ peccatum obſuit non ſolum ipſi, ſed generi humano, cui meruit etiam mortem corporum.* Confirmatur ex eodem Apoſtolo ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt; ergo peccatum Adæ nocuit toti generi humano.*

3. Dicendum tertio: infantes non naſcuntur in eo ſtatu, in quo fuit Adam ante peccatum, ſed naſcuntur cum peccato originali, ac neceſſitas moriendi, concupiſcentia, rebellio carnis &c. ſunt pœna peccati, non autem conditio naturæ. Probat: nam ex dictis conſuſione prima Adam ante peccatum non habebat neceſſitatem moriendi, infantes naſcuntur cum neceſſitate moriendi. Rurſus primi parentes non habebant concupiſcentiam, neque rebellionem carnis, ideoque ut dicitur Gen. 2. licet eſſent nudi, non erubeſcebant: infantes dum perueniunt ad ætatem perfectam, habent concupiſcentiam, & rebellionem carnis: ergo infantes non naſcuntur in eo ſtatu, in quo fuit Adam ante peccatum, ac proinde mors, concupiſcentia &c. non ſunt conditio naturæ, prout in Adamo condita eſt, ſed ſunt pœna peccati. Quod Infantes naſcantur cum peccato originali, probatur ex Apoſtolo ad Roman. 5. *Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt; ergo &c.*

4. Reſpondebat Pelagius, quod omnes peccant in Adamo imitatione, non autem propagatione, qua contrahant ex Adamo peccatum originale. Sed contra: nam infantes non peccauerunt in Adamo imitatione, cum propria uoluntate non potuerint imitari peccatum Adæ; ergo peccauerunt propagatione. Confirmatur 1. ex Apoſtolo ad Eph. 2. *Erasmus natura filij iræ; ſed non eſſemus natura filij iræ, niſi naturali propagatione contraheremus peccatum originale; ergo non imitatio-*

ne, ſed propagatione contrahimus peccatum originale. Confirmatur 2. nam Pf. 50. dicitur: *Ece enim in iniquitatibus conceptus ſon in peccatis concepit me mater mea.* Confirmatur 3. ut enim arguit Auguſt. lib. 1. de pecc. mer. & rem. cap. 14. Eccleſia ex conſuetudine antiquiſſima baptizat infantes in remiſſione peccatorum, præmiſſis exorcismiſ, aliſque ceremonijs ad expellendum diabolum; ſi infantes non haberent peccatum originale, cum procul dubio careant peccato peccatorum; ergo ut dicitur in Concilio Milic. can. 2 & in Tridentino ſeſſ. 5. *Ideo in remiſſionem peccatorum ueraciter baptizantur, ut in generatione mundetur, quod generatione contractum.*

5. Dicendum quarto: infantes baptizati mundentur à peccato originali, & ſi moriantur ſine baptiſmo, non ſolum non admittuntur in regnum Cælorum, iuxta illud C. loan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei, ſed que habebunt ullam uitam beatam, &c.* nam. Probat: primo: nam abſurdum eſt, inimicis Dei extra regnum Dei habere uitam beatam, & æternam; ſed infantes morientes ſine baptiſmo, per peccatum originale inimici Dei, & non intrabunt in regnum; ergo &c. ſecundo Apoſtolo ad Rom. 5. *per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſed hoc unum delictum eſt peccatum originale: ergo infantes, qui moriuntur peccato originali, condemnabuntur; ſed abſurdum eſt, ut qui condemnantur, habeant uitam beatam, & æternam; ergo.* Ideo Auguſt. lib. 1. de pecc. mer. & rem. cap. 16. dicit. *Poteſt proinde rectè dici paruum in baptiſmo de corpore exeuntes in damnationem niſiſſima futuros. Multum autem fallit, qui eos in damnatione prædicat non in uitam, dicente Apoſtolo: iudicium ex uo delicti condemnationem.* Bellarminus autem lib. 4. am. gratiæ, & ſtatu peccati docet eſſe ueritatem non ſolum opinionem cuiſdam Concilij, quem Auguſtinus, reſellit lib. 1. Orig. animæ, qui licet admitteret peccatum originale, dicebat infantes morientes in baptiſmo intrare in regnum cælorum, quæ hæreſim ſequutus eſt Zuinglius, ſed etiam opinionem Catharini, & aliorum, qui docent infantes morientes ſine baptiſmo extra regnum cælorum, in quodam ueluti parateſtri beatitudine naturali fruſtuos, non deſint, qui hanc ſecundam opinionem vindicent à tam acerba cenſura.

6. Dicendum quinto: homo lapſus per liberum arbitrij ſine gratia non poteſt ullam uinum mandatum obſeruare, prout oportet ad obtinendam gratiam iuſtificationis, & merendum uitam æternam. Probat: enim dicitur Canone 5. Concilij Mileuſi. *De fruſtibus mandatorum Dominus loquitur Io. 15. ubi non ait: Sine me difficile poteſt...*

sed sine me nihil potestis facere. Confirmatur: nam iustificatio, & vita æterna sunt dona supernaturalia; sed ad merendum præmium supernaturalia; ergo non possumus obseruare mandata prout oportet ad iustificationem, & ad merendam vitam æternam, nisi per actus supernaturalia; sed liberum arbitrium sine gratia supernaturali non potest exercere actus supernaturalia, eo pacto, quo homo non potest volare sine alis; ergo &c.

7. Dices: Deus præcipit homini, vt faciat actus meritorios vitæ æternæ; ergo homini non est impossibile facere actus meritorios vitæ æternæ; alioquin Deus præciperet impossibilia.

8. Respondeo, distingo consequens; ergo homini non est impossibile per solas vires naturæ facere actus meritorios vitæ æternæ, nego; per vires gratiæ, concedo. Deus præcipit homini possibilia per gratiam, & cum præceptum vrget, semper dat gratiam proximè, vel remotè sufficientem ad illud implendum, vt magis explicabitur inferius.

9. Infertur primo contra 6. & 7. errorem Pelagij gratiâ Christi superadditam libero arbitrio indebitam, & supernaturalem esse necessariam ad hoc, vt simpliciter possumus obseruare mandata, prout oportet ad vitam æternam, ac non solum esse necessariam, vt facilius possumus.

10. Infertur secundo contra 8 errorem Pelagij, quem errorem, vt cum Augustino ep. 95. notarunt alij, docuerant etiam Iudæi, quos S. Paulus refellit in epist. ad Rom. & Gal. non sufficere gratiam externam legis ac doctrinæ, per quam Deus ostendat, quid facere debeamus, & per promissiones præmiorum, alliciat ad illud faciendum, sed vterius requiri diuinum adiutorium, vt illud facere possumus. Probat, & explicatur: nam vt ego voleam in Cœlum, non sufficit, vt Deus doceat me modum volandi, & promissione præmiorum incitet ad volandum, sed requiritur vterius, vt det mihi alas, & vires ad volandum: rursus vt grauitæ ægrotans velocissimè currat, non sufficit, vt inuiteretur ad currendum, & ostendatur illi modus currendi, sed debent ipsi dari vires ad currendum; sed actus meritorij vitæ æternæ propter intrinsicam supernaturalitatem, & propter ægritudinem peccati originalis non minus excedunt vires naturæ, quam volatus in Cœlum excedat vires naturales hominis, & cursus velocissimus excedat vires grauitæ ægrotantis; ergo &c.

11. Infertur tertio hominem in natura lapsa sine gratia Christi ad summum habere potentiam faciendi aliquem actum naturalem bonum secundum quid, hoc est meritum ali. cuius præmij temporalis in hac vita, non autem bonum simpliciter, hoc est conducendum ad vltimum finem æternæ beatitudinis. Probat: nam homo lapsus sine gratia Christi

si habet potentiam faciendi solos actus naturales; sed actus naturales de facto non conducunt ad vltimum finem naturalem, qui in hac prouidentia est impossibilis, nec conducunt ad finem supernaturalem, cum quo non habent proportionem; ergo solum sunt meritorij præmij naturalis in hac vita.

12. Dicendum sexto contra 9. errorem Pelagij; gratia propriè dicta non datur ex meritis liberi arbitrij operantis viribus naturæ, sed vel datur ex nullo merito, vel datur ex meritis factis ex viribus gratiæ theologicæ. Probat August. epist. 106. paulo post initium, sic arguens ex Apostolo ad Rom. 11. *Si gratia, iam non ex operibus est, alioquin gratia non est gratia. Operibus enim debitum redditur: gratia gratis datur: unde etiam nuncupatur.* Confirmatur, & explicatur. Quod enim datur vt merces, & præmium operanti ex viribus naturæ, potius redditur, quam gratis donatur, ideoque propriè non est gratia; sed iuxta Pelagianos gratia datur ex meritis liberi arbitrij operantis ex viribus naturæ; ergo &c.

13. Infertur primo nullam gratiâ theologicam dari ex meritis liberi arbitrij operantis ex viribus naturæ, siquidem eo ipso propriè non esset gratia.

14. Infertur secundo aliquam gratiam theologicam dari sine vilo merito eius, cui datur. Probat: nam repugnat, vt quis bene vtendo alis ad volandum, mereatur primo accipere alas, licet possit mereri conseruationem alarum; sed sicut non possumus volare, nisi per alas, sic non possumus mereri vllam gratiam theologicam, nisi per vires gratiæ theologicæ; nam vt dictum est, vires naturæ sunt insufficientes ad merendam gratiam theologicam: ergo repugnat, vt bene vtendo gratia theologica, & per eius vires faciendo actum meritorium, mereamur primo accipere gratiam theologicam, licet possumus mereri conseruationem ipsius. Confirmatur: nam primum principium meriti non potest cadere sub meritum: alioquin eueniret aliquid simile, ac si quis currendo, primò acquireret pedes, quibus currit: sed aliqua gratia theologica est primum principium omnis meriti supernaturalis; ergo non potest cadere sub vilo meritum supernaturali: sed neque potest cadere sub meritum naturale; ergo non potest cadere sub vllum meritum; ac proindè prima gratia ad merendum merito supernaturali donatur omnino gratis, & non ex vilo merito. Ideo Augustinus ep. 106. dicit: *Opera ex gratia, non ex operibus gratia.*

15. Infertur tertio aliquam gratiam theologicam dari ex meritis factis ex viribus primæ gratiæ theologicæ datæ sine vilo merito. Probat: nam vita æterna, siue supernaturalis beatitudo est gratia theologica, iuxta illud ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*; sed vita æterna datur ex meritis factis per vires gratiæ; ideoque Apostolus 2. ad Tim. 4. vitam æternam vocat coronam iustitiæ, dicens: *Reposita*

*est mihi corona iustitia; ergo &c.* Confirmatur: nam per fidem meremur de congruo gratiam iustificationis, & gratiam, per quam adiuuemur ad bene operandum; ergo &c. Gratia, quæ datur in præmium meritorum factorum ex viribus gratiæ, Io. 1. vocatur *gratia pro gratia*. Licet autem sit contra rationem gratiæ, vt cadat sub meritum naturæ, tamen vt acutè obseruat Augustinus ep. 106. non est contra rationem gratiæ, vt cadat sub meritum gratiæ. Ratio est, quia licet natura non possit mereri gratiam, siquidem gratia debet esse supra meritum naturæ; tamen gratia potest mereri gratiam, cum gratia non debeat esse supra meritum gratiæ, imò ipsa gratia possit mereri, vt augeatur, & perficiatur. Verba Augustini sunt: *Cum ergo fides impetrat iustificationem, sicut unicuique Deus partitus est etiam ipsius mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa, & non præuia voluntate.* Videri etiam potest idem August. lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 8. & 9. vbi de hoc puncto agit ex professo.

16. Obijciebat Pelagius: si gratia datur, & non ex meritis, Deus cum illam vni dat, alteri non dat, est acceptor personarum.

17. Respondeo, quod quando quis ex mera liberalitate aliquid vni gratis dat, alteri non dat, non est acceptor personarum, vt patet. Confirmatur primo ad hominem; nam Pelagius fatebatur gratiam creationis dari sine villo merito, & tamen Deus ex eo, quod istos homines creet, alios nõ creet, non est acceptor personarum. Confirmat secundo Augustinus ad hominem lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 21. nam ex duobus infantibus alter sine villo merito accipit gratiam baptismi, & obtinet regnum Cælorum, alter non accipit gratiam baptismi, & excluditur à regno Cælorum, & tamen Deus non est acceptor personarum. Respondebant aliqui Pelagianorum infantes, qui baptizantur, baptizari in præmium alicuius meriti personalis: eos qui non baptizantur, priuari gratia baptismi in poenam alicuius peccati personalis, quod in illa ætate commiserunt. Verùm vt opponit Augustinus, hæc responsio risu potius, & sibilis, quam argumentis est explodenda. Confirmat tertio lib. 2. eiusdem operis: nam humanitati Christi sine villo merito data est gratia vnionis hypostaticæ, quæ negatur alijs humanitatibus, & tamen Deus non est acceptor personarum. Respondebant Pelagiani defendentes vnum errorem alio errore maiore, Christum natum esse purum hominem, ac deindè meruisse, vt fieret filius Dei. Sed hæc responsio continet aliam hæresim, & vt obijcit Augustinus, Christus debet esse vnus tantum; ex hac autem doctrina sequitur, quod possent esse duo, tres, & plures Christi, siquidem alij etiam homines per vires naturales liberi arbitrij possent

peruenire ad hoc, vt fierent filij Dei, vt Christus.

18. Dicendum septimo contra 10. errorem Pelagij; etiam si ad omnes, & ad singulos adhibeatur bonos, & ad non peccandum indigeamus adiutorio gratiæ præuenientis, & comitante nostro consentum, nihilominus habemus liberum arbitrium, quo ita peccamus, vt possimus non peccare, ita bene operamur, vt possimus non bene operari.

19. Probat primo Augustinus epist. 46. ad Simplicianum: *Si non est gratia Dei, quomodo saluatur mundus? si non est liberum arbitrium, quomodo meretur mundum?* Explicatur. Nam si liberum arbitrium sine adiutorio gratiæ seruat mandata, & meretur vitam æternam, non Deus saluatur nos per gratiam, sed dat vitam æternam ob meritum liberi arbitrij. Rursus, si cum peccamus, & transgredimur præcepta, non liberè, sed necessario peccamus, iniuste non Deus damnat, & punit propter peccata, quæ non potuimus vitare.

20. Probat secundo lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 2. 3. & sequent. Nam Deus in Scripturis præcipit nobis, vt conuertamur ad ipsum per obseruantiam mandatorum, vt cum Zacharia dicit; *Conuertere mihi ad me;* sed non præcipit, vt conuertamur ad Deum per obseruantiam mandatorum, & non iuste puniret nos, cum transgredimur mandata, nisi possemus liberè conuertere, & obseruare mandata etiam supra naturalia credendi, sperandi, & diligendi Deum super omnia; ergo possumus liberè conuertere, & obseruare mandata etiam supra naturalia. Rursus in iisdem Scripturis non petimus à Deo, vt nos conuertat ad se per obseruantiam mandatorum, vt cum Psalmo dicitur; *Conuerte nos Deus salutaris noster;* non peteremus à Deo, vt nos conuerteret, liberum arbitrium ad hoc, vt liberè conuerteteret ad Deum, non indigeret gratia, & adiutorio Dei, & nisi ipsa conuersio, quam petimus, esset donum Dei; ergo obseruanda mandatorum, & conuersio ad Deum sunt nobis libera, simul sunt dona Dei. In Scripturis igitur tot sunt argumenta pro libero arbitrio, quot sunt præcepta, tot sunt argumenta pro gratia, quot sunt orationes quibus petimus diuinum adiutorium ad obseruanda præcepta; & quia fideles semper desiderant se obligari diuinis præceptis, semper per orationes petierunt à Deo adiutorium ad obseruanda præcepta, ideo fideles semper confessi sunt gratiam, & liberum arbitrium.

21. Probat tertio lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 18. nam si liberum arbitrium, hoc est voluntas, quæ est indifferens ad hoc, vt sit bona vel mala, à Deo est; bona autem voluntas etiam nobis est, & non ex Deo, melius est quod à nobis, quam quod ab illo est: quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem à diuinis adipisci.

22. Debet aduerti, quod hic error, quod nimirum non est liberum arbitrium, si diuino indiget adiutorio, est principium commune, in quo conuenerunt Pelagiani, Prædestinatiani, Lutherani, Calvinistæ &c. & ex quo intulerunt contrarias hæreses. Pelagius enim assumpto eo principio, tanquam maiori syllogismo, subsumpsit minorem, sed est liberum arbitrium, ut patet ex fide, & ratione; & conclusit, ergo non indigemus adiutorio Dei. Prædestinatiani subsumpserunt; sed indigemus adiutorio Dei, & concluderunt, ergo non est liberum arbitrium. Fides catholica docet ita nos habere liberum arbitrium, ut Dei semper indigemus auxilio, qui Deus ita nos præuenit auxilio præcedente consensum, & adiuvat auxilio comitante consensum, ut neque auxilium præueniens, neque comitans auferat liberum arbitrium; siquidem ut colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 3. auxilio præuenienti possumus non consentire, atque illud abijcere; auxilium comitans oblatum possumus non acceptare.

23. Dicendum octauo contra 11. errorem Pelagij; luti in hac vita, excepto Christo, & Beata Virgine, non solum per vires naturæ, sed neque per vires gratiæ perueniunt ad hoc, ut non committant vilius peccatum, ne veniale quidem.

24. Probat Augustinus. Nam Iac. 3. dicitur: *In multis offendimus omnes, 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ideo ut loquitur Tridentinum sess. 6. cap. 11. *Iustorum illa vox est; Dimitte nobis debita nostra;* idemque definitum fuerat can. 6. & 7. Concilij Mileuitani. Hinc sequitur Christi Ecclesiam militantem non componi ex iustis, qui nunquam peccarunt, sed ex ijs, qui quotidie, quia peccant, clamant ad Deum; *Dimitte nobis debita nostra.*

25. Dicendum nono contra 12. errorem Pelagij; non possumus vincere tentationes ex viribus naturalibus liberi arbitrij sine adiutorio gratiæ, ut ex Innocentio I. docet Cælestinus in ep. ad Episc. Gal. cap. 6.

26. Probat Augustinus lib. de gratia, & lib. arb. cap. 5. Apostolus enim 1. ad Corint. 13. dicit; *Gratia autem Dei dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum;* ergo victoria tentationum est donum gratiæ. Confirmat; nam Christus Matth. 26. dicit; *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem;* ergo quandoquidem orandus est Deus, ut non intremus in tentationem, hoc est vt à tentationibus non vincamur, victoria tentationum est donum Dei. Hanc victoriam oratione dominica petimus dicentes; *Ne nos inducas in tentationem.* Ut enim dicit Augustinus lib. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 4. per hæc verba petimus, *ut si forte tentari experimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, ut in eo possumus vincere, ne abstrahamur illicitis.*

27. Dicendum decimo contra 13. errorem

Pelagij. Venia pœnitentibus datur secundum misericordiam, & gratiam Dei, non secundum merita, & laborem eorum, ac proinde per vires liberi arbitrij sine gratia Dei nemo potest facere fructus dignos pœnitentiæ, itaut veniam mereatur.

28. Probat primo; nam si per vires naturæ sine gratia Christi possumus facere opera pœnitentiæ, quibus mereamur veniam, & iustificemur, non indigemus redemptione per Christum, ac proinde, ut infert Augustinus ep. 106. paulo post initium, possumus dicere id, quod de lege dicit Apost. ad Gal. 2. *Si per naturam iustitia; ergo Christus gratis mortuus est.*

29. Probat secundo Augustinus eadem ep. non multò ante finem; nam ipsa pœnitentiæ obtineas veniam peccatorum est donum Dei, iuxta illud Apostoli 2. ad Tim. 2. *Ne forte det illis Deus pœnitentiæ;* ergo dum peccatores obtinent veniam per pœnitentiæ, obtinent veniam per gratiam Dei, non autem per merita facta ex viribus arbitrij sine gratia. Adde, quod licet per actus pœnitentiæ supernaturalis, & factos viribus gratiæ possumus mereri veniam, & iustificationem, tamen non possumus illam mereri de condigno, sed solum de congruo; ideoque Tridentinum sess. 6. cap. 8. dicit. *Gratis autem ideo iustificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur, intellige, de condigno.* Ratio est, quia ut docet communis sententia in tract. de Incarn. sola Persona infinita, ac proinde solus Christus potest de condigno satisfacere pro mortali, vel eius remissionem de condigno mereri; ergo pœnitentiæ puri hominis non potest satisfacere de condigno, neque de condigno mereri remissionem peccati mortalis alieni, vel proprii.

30. Dicendum vndecimo contra vltimum errorem Pelagij, qui non spectat ad materiam de gratia; diuites baptizati, etiamsi retineant suas diuitias, si bene illis vrantur, possunt consequi regnum cœlorum.

31. Probat Augustinus ep. 106. Apostolus 1. ad Tim. 6. dicit; *Diuitibus præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viua, qui præstat omnia nobis abundè ad fruendum, bene agere, & diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam;* ergo diuites retinendo suas diuitias, dummodo faciant quæ Apostolus præcipit, possunt consequi vitam æternam, hoc est regnum cœlorum.

32. Errores Prædestinatianorum, & recentiorum hæreticorum, qui conueniunt cum Pelagio in eo principio, quod si ad omnes actus bonos indigemus adiutorio Dei, non datur liberum arbitrium, reiecti sunt, agendo contra 10. errorem Pelagij.

## QVAESTIO LXVI.

## De Erroribus Semipelagianorum.

1. **C**um Augustinus in aliquibus libris contra Pelagium, & praesertim lib. de corrept. & gratia docuisset omnes homines nasci cum peccato originali, ac proinde in massa perditionis, hoc est dignos aeterna damnatione; ex hac autem massa Deum per aeternam suam praedestinationem quosdam misericorditer eligere ad gratiam, per quam credant in Christum, & iustificati perseverent, & saluentur, alios autem iusto iudicio non eligere ad istam gratiam, sed relinquere in massa perditionis, ita ut vel non credant in Christum, vel credentes non iustificentur, vel iustificati non perseverent usque ad mortem, & non saluentur: ex occasione huius doctrinae orta est haeresis Praedestinatorum, ut dictum est quaestione 64. Praeterea in Gallia, & praesertim Massiliae quidam Episcopi, & Praesbiteri, quorum princeps videtur fuisse Ioannes Cassianus, viri, ut dicit Prosper in epist. ad August. clari, & in omnium virtutum studio egregij, existimaverunt Augustini doctrinam de vocatione electorum secundum propositum Dei esse contrariam sensui Ecclesiae, & antiquorum Patrum, eaque reiecta, novam sectam commenti sunt, quae dicta est Semipelagiana, quia ita quosdam Pelagianos errores respuebat, ut alios retineret. Opposuerunt se novae sectae, ac reliquijs Pelagianorum duo Augustini discipuli, Prosper, & Hilarius, quorum ille postea fuit Episcopus Rhegiensis in Gallia, hic a multis putatur fuisse Episcopus Arelatensis. Verum cum Semipelagianorum auctoritati resistere non possent, totam Semipelagianorum doctrinam scripto complexi sunt, & Augustino per literas transmiserunt, rogantes, ut quid de illa sentiendum esset, explicaret.

2. Ut igitur ex Epistolis Prosperi, & Hilarij colligitur, Semipelagiani primo cum catholicis docuerunt omnes homines nasci obnoxios peccato originali, ac non posse a peccato liberari, & saluari per vires naturales liberi arbitrij, sed solum per Christi gratiam. Docuerunt etiam gratiam Christi praeveneri voluntates hominum, atque hominem sine gratia non posse vllum opus bonum incipere, vel perficere.

3. Secundo docuerunt, proposita externa praedicatione Evangelij, posse homines per vires naturales liberi arbitrij credere, & ad baptismum accedere, atque in fide, quae deinde per Dei gratiam sit augenda, & iuvanda, perseverare. Hunc errorem,

qui est Semipelagianorum praecipuus, & in quo caeteri fundantur, docuerat ipse Augustinus in quibusdam libris ante Episcopatum scriptis, asserens fidem initialem gratia non praeveneri, nec esse donum Dei, eumque errorem retractat lib. 1. retract. cap. 23. & lib. de dono Perseu. cap. 3.

4. Tertio docuerunt gratiam Christi, & aeternam salutem omnibus sine exceptione esse propositam, ita ut quicumque per vires naturales liberi arbitrij ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, consequantur gratiam, qua salvi esse possint.

5. Quarto docuerunt Deum ab aeterno praesensse, quinam per naturales vires liberi arbitrij credituri sint in Christum, & in illa per gratiam iuvanda permanfuri, atque a gratia morituri, eosque praedestinasse ad gratiam aeternam; ideo omnes homines in factis literis moneri, ut credant, ac bene operentur, quia per vires naturales liberi arbitrij possunt credere, & credendo, accipere gratiam, quae divina mandata observent, & saluentur.

6. Quinto docuerunt praedestinationem ab Augustino praedicatam, per quam Deus nullis praecedentibus meritis, quosdam eligat ad gratiam, per quam credant, iustificentur, perseverent, & saluentur, alios ad talem gratiam non eligit, sed relinquit in massa perditionis, esse omnino reiiciendam, tanquam alienam a doctrina veterum Patrum, & quae sub nomine praedestinationis fatalem quosdam necessitatem inducit, lapsis admittentibus, & resurrectionem resurgendi, sanctis autem occasione temporis affert. Addebant, quod etiam illa doctrina esset vera, tamen non esset praedicationis, utpote quae est adificationi audientium contraria.

7. Sexto quidam illorum dum cogebantur ad concedendam gratiam praecedentem omnia merita, ne si omnis gratia sit inchoans aliquod meritum, proprie non sit gratia, cum detur ex merito. Respondentes cum Pelagianis, gratiam praeveneri omnia merita esse gratiam creationis, quae ante omnia merita accipimus liberum arbitrium quo bene utendo, ac per naturales vires credendo, quaerendo, petendo, & pulsando possumus pervenire ad gratiam Christi.

8. Septimo dicebant Deum omnes homines, vel per legem naturam, vel per legem scriptam, vel per praedicationem Evangelij vocare ad salutem, quam post adventum Christi solum per baptismum possumus obtinere, & quod sicut aliqui per vires naturales liberi arbitrij sunt inobedientes divinae vocationi, quia nolunt obedire, & credere, alii per vires naturales arbitrij sunt obedientes vocationi, quia volunt, siquidem vult quisque ex viribus naturalibus, quantum potest ad malum, & ad peccandum, tantum potest ad bonum, & ad bene agendum, ita ut eligat bonum, gratia Dei subsequente, iustur.

tur: si eligat malum, subtractione gratiæ puniatur.

9. Octavo cum opponebatur, quod ex parvulis, alter sine vilo merito personali præcedente obtinet gratiam baptismi, & moriens saluatur, alter non baptizatur, negari gratiam, & moriens damnatur: Respondebant, infantes, qui baptizantur, baptizari, & saluari in præmium bonorum operum, quæ Deus videt illos facturos fuisse, si viverent; infantibus autem, qui non baptizantur, negari gratiam baptismi, & salutem, in penam peccatorum, quæ Deus videt illos facturos fuisse, si viverent. Similiter dicebant, quod Deus vni nationi dat gratiam, vt illi prædicetur Euangelium, in præmium fidei, qua præuidit illas credituras, si prædicaretur Euangelium, alteri nationi negat gratiam prædicationis Euangelij, in penam incredulitatis, qua præuidet illam non credituram, si prædicaretur Euangelium.

10. Nono dicebant Christum æqualiter pro omnibus mortuum esse, ac Deum æqualiter velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ac proinde rationem, cur vnus potius conuertatur, & saluetur, quam alius, non esse diuinam prædestinationem, & gratiam, qua specialiter velit salutem vnus magis, quam alterius, sed liberum arbitrium.

11. Decimo negabant dari certum numerum prædestinatorum, qui neque possit augeri, neque minui.

12. Vndecimo demum dicebant, quod cum ad salutem adultorum duo requirantur, nimirum obedientia hominis, & gratia Dei, prior est obedientia hominis, quam gratia Dei, & initium salutis ex eo est, qui saluatur, non ex eo, qui saluat, itaut voluntas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiiciat voluntatem.

13. Acceptis epistolis Prosperi, & Hilarij, quibus exponebant doctrinam Semipelagianorum, Augustinus paulo ante mortem relatos Semipelagianorum errores confutauit duobus lib. de Prædest. Sanct. & de Dono Perseuer. quibus Semipelagiani non sunt correcti, sed mortuo Augustino, eius doctrinam voce, & scripto calumniosè exagitare, & Prosperum, atque Hilarium in suspensionem hæreticos vocare cæperunt, ac Prosper aduersariorum errores, & calumnias pluribus opusculis reiecit. Verùm cum Prosper, & Hilarius Semipelagianorum auctoritati resistere non possent, Romam simul venerunt ad Cælestinum Pontificem, qui audita Semipelagianorum petulantia, per Epistolam ad Episcopos Galliæ datam doctrinam Augustini commendauit, Semipelagianis silentium indixit, eorumque errores damnauit. Cum autem Ioannes Cassianus, præsertim collat. 13. de Protectione Dei, Semipelagianos errores docuisset, Prosper illos confutauit, libro qui inscribitur contra Collatorem. Post plures annos iussu,

vt creditur Sancti Leonis, vel vt verius est; Felicis IV. in secundo Concilio Arausicano in Gallia celebrato, promulgati sunt viginti-quinque Canones verbis ferè Augustini concinnati, & à Sede Apostolica ad illud concilium transmissi, quibus Semipelagiana hæresis damnata est, licet eius sectatores, hoc est Ioannes Cassianus, & quidam alij Gallia Præbyteri, & Episcopi, nec non Faustus Prosperi in Episcopatu Rhegiensi successor, nunquam fuerint ab Ecclesia damnati vt hæretici, sed tolerati vixerint inter Catholicos, quia mortui sunt, antequam eorum errores ultimo damnarentur à Concilio Arausicano.

## QVAESTIO LXVII.

*Proponitur doctrina catholica contra errores Semipelagianorum.*

1. **S**uperest, vt proponamus doctrinam catholicam contra errores Semipelagianorum, qui errores sunt ita subtiles, vt facilè sit, cur probabiles catholicorum sententias reijcere, tanquam semipelagianas, vel errores Semipelagianos defendere, vt probabiles sententias. Dicendum igitur contra præcipuum, & fundamentalem errorem semipelagianorum: non solum volentibus, & incipientibus credere datur, & est necessaria gratia subsequens, per quam possint in fide proficere, & per bona opera consequi salutem, sed etiam datur, & est necessaria gratia præueniens ad hoc, vt possint velle, & incipere credere ideoque non solum augmentum, sed etiam initium fidei, & credulitas, seu voluntas credendi est donum gratiæ.

2. Probat primo August. l. 1. de Prædest. Sanc. cap. 2. Nam si tota gratia est subsequens voluntatem credendi, & fidem initialem, quæ voluntas, & fides initialis non sit donum Dei, neque effectus gratiæ præuenientis, sed sit ex viribus natura, tota gratia datur ex aliquo merito factò ex viribus natura, quod spectat ad nonum errorem Pelagij. Quia verò Semipelagiani poterant dicere voluntatem credendi, & initium fidei prærequiri ad gratiam, non vt meritum, sed vt meram conditionem, vel dispositionem, refellit hoc Augustinus, dicens: *Quis autem dicat eum, qui capit credere, ab illo, in quem creditur, nihil mereri?*

3. Probat secundo eodem cap. 2. Nam præsertim de donis gratiæ dicit Apostolus ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia;* sed iuxta opinionem allatam prius nos per vires arbitrij damus Deo voluntatem credendi, & initium fidei, vt retribuatur nobis gratia, per quam possimus in fide proficere, & bene operando, salutem consequi: rursus non à Deo per gratiam sunt omnia spectantia ad salutem, sed voluntas credendi, & initium

D d fidei

fidei est à nobis per vires naturæ, ac deinde cætera sunt à Deo per gratiam; ergo &c.

4. Probat tertio; Apostolus enim ad Philip. 1. dicit: *Vobis donatum est, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*; ergo non solum est donum Dei, ut plenius, perfectiusque credamus, sed etiam ut simpliciter credamus. Neque enim nos incipimus, Deus autem perficit, sed ut ibidem dicit Apostolus, *Qui capit in nobis opus bonum, ipse perficiet*. Rursus idem Apostolus 1. ad Cor. 7. dicit: *Tantumquam misericordiam consequutus à Domino, ut sim fidelis*; ergo Apostolus dono gratiæ consequutus est, non solum ut esset fidelior, sed etiam ut primo esset fidelis: ut pater etiam Act. 9. ex historia conuersionis Sancti Pauli, ex qua habetur, quod Saulus cum non solum nollet credere, sed vellet persequi credentes, per gratiam Dei præuenientem accepit ipsam primam voluntatem credendi in Christum, atque ex incredulo factus est credens.

5. Probat quarto ex eodem Apost. 2. ad Corin. 3. vbi loquens de ijs, quæ spectant ad pietatem, & religionem, dicit: *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Ex his verbis arguit Augustinus dicens: *Quis non videat prius esse cogitare, quam credere? Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi à nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est*.

6. Probat quinto cap. 3. Ut enim docet Apostolus 1. ad Corin. 4. fidelis non discernit se ipsum ad infideli per vires naturæ, sed discernitur à Deo per vires gratiæ, ideoque dicit: *quis enim te discernit? & quia fidelis poterat respondere, Ego liberè credens per fidem discerno me ipsum à non credente, subdit Apostolus: Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? sed si fidelis liberam voluntatem credendi, & initium fidei non haberet à Deo per donum gratiæ, sed à se ipso per vires naturæ, ita per hanc voluntatem credendi, & per initium fidei discerneret se ipsum ab infideli, qui credere non vult, ut posset de sua credulitate, & fide gloriari, tanquam de non acceptis per donum gratiæ; ergo etiam voluntatem credendi, & initium fidei accipimus per donum gratiæ. Relato hoc testimonio Apostoli, *Quid autem habes, quod non accepisti*, addit Augustinus, *Quod præcipue testimonio etiam conuictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum creditur, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos inpetrare Dei dona*.*

7. Ex hac Augustini doctrina, & ex testimonij Scripturarum ab ipso adductis desumpti sunt Canones quintus, sextus, & septimus Concilij Arausicani, in quorum quinto asseritur *quod qui dixerit initium fidei, & credulitatis affectum*

*non per donum gratiæ, & inspirationem Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis inesse, Apostolus in epistolis adversarius comprobatur. In sexto asseritur, quod si quis sine gratia Dei credentibus, querentibus, pulsantibus &c. diuinam misericordiam conferrit, non autem ut credamus velimus, vel hac omnia, sicut oportet, agere valeamus per inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri cõteretur, resistit Apostolo dicenti: quid habes, quod non accepisti? & gratia Dei sum id, quod sum, septimo asseritur, quod si quis per naturam rem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, vel predicationi Euangelij consentire nos posse confirmari, & illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti heretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Ioa. 15. dicentis, sine me nihil potestis facere. Apost. 1. ad Cor. 3. non quod idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.*

8. Inferitur, quod quandoquidem Scripturæ, & Concilia eodem pacto dicunt requirere gratiam ad incipiendum, & ad perficiendum opus nostræ iustificationis, & salutis; ad perficiendum autem requiritur gratia intrinsece supernaturalis; etiam ad incipiendum requiritur gratia intrinsece supernaturalis. In hac hanc doctrinam Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 5.

9. Potest obijci: ut narratur Act. 16. Cornelius Centurio, antequam crederet in Christum, per orationes, & elemosinas meruit, ut mitteretur ad eum Angelus, à quo crederetur ad fidem Christi; sed tales orationes & elemosinæ videntur factæ ante fidem, & non factæ ex viribus naturæ; ergo aliquæ vires naturæ meruerunt primam gratiam iustificationis ad fidem. Respondet Augustinus de Prædest. Sanct. cap. 7. quod Cornelius sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam iuxta doctrinam Apostoli ad Rom. 10. quomodo orationibus inuocabat, in quem non crederetur. Cornelius igitur, nullis præcedentibus meritis accepit gratiam præuenientem, per quam aliqua fide crederetur in Deum remuneratorem, & ex hac fide Deum orando inuocabat, ut obtineret salutem, & per orationes, & elemosinas factas, non ex viribus naturæ, sed ex fide, & ex viribus gratiæ, obtinuit, ut crederetur ad fidem Christi, & per Christum saluaretur: ideoque Concilium Arausican. can. 25. docet, fidem illius Centurionis non fuisse de natura, sed diuinæ largitatis donum.

10. Posita hac conclusione, qua reijciuntur præcipuus, & fundamentalis error Semipelagianorum, facile est iudicium ferre de veritate eorum propositionibus relatis quæst. 1. ac distinguere, quid per illas verè, & catholicè, quid falso, & hereticè dicatur.

11. Prima igitur propositio, ut verba sonant, est vera, & catholica. Dixi, ut verba sonant: nam illa pars propositionis, per quam dicebant, præueniri voluntates hominum Deo gratia, non intelligebatur ab ipsis cum generalitate catholica, sed cum limitatione hereticæ.

tica: Catholici enim dicunt Dei gratia præueniri omnes omnino actus, & volitiones salutares, etiam quibus volumus credere, conari, petere, pulsare, &c. At Semipelagiani dicebant præueniri voluntates hominum, non omnes, sed exceptis his. Similiter Catholici, dum dicunt ad nullum opus bonum incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere, nomine operis boni intelligunt etiam initium fidei, voluntatem credendi, petendi &c. Semipelagiani verò intelligebant sola opera bona distincta à voluntate credendi &c. vt notat Hilarius in Epist. ad Augustinum.

12. Opponebant primo: dum dicitur, quod ægrotus non potest facere vllum opus sanatiuum sine auxilio medici, nomine operis sanatiui non intelligitur desiderium, sed quod ægrotus vult sanari, & credens in artem medici petit auxilium, & se committit curæ medici: nam procul dubio ægrotus potest hæc facere sine auxilio medici: ergo dum dicitur, quod homo lapsus, & ægrotus propter peccatum originale non potest facere vllum opus salutare sine auxilio gratiæ sanantis, nomine operis salutaris non intelligitur voluntas, quæ vult sanari, & credens in Christum ab ipso petit salutem.

13. Respondeo, quod sicut ægrotus inducens phrænesim, lethargum &c. est ita grauis, vt ægrotus sine auxilio medici neque possit desiderare sanitatem, & inuocare auxilium medici, sic ægrotus peccati originalis est ita grauis, vt sine auxilio gratiæ sanantis non solum non possimus desiderare veram sanitatē, sed vt loquitur Apostolus, neque simus sufficientes cogitare salutariter à nobis, quasi ex nobis. Ideo Prosper lib. contra collatorem prope finē allatam doctrinam Cassiani reijcit dicens: *Quasi medicus nosse non etiam hoc donet morbitis, vt veram desiderent sanitatem.*

14. Opponebant secundo, vt refert Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 11. cum ad Rom. 10. dicitur, *si credideris, saluus eris, vnum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei est potestate.*

15. Respondet Augustinus: *cur non vtrumque est in Dei potestate, & quod iubetur, & quod offertur. Rogatur enim, vt det quod iubet &c.* Confirmatur; nam dum Matth. 19. dicitur, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, offertur vita æterna, exigitur obseruantia mandatorum, & tamen Semipelagiani fatebantur contra Pelagium, non posse nos seruare mandata sine gratia Dei, & obseruantiam mandatorum esse simul nobis liberam, cum præcipiatur, & esse liberam Deo, cum orationibus petatur à Deo; ergo idem dicendum in casu nostro. Deus igitur cum dicit: *crede, & saluus eris*, simul offert salutem, quam promittit, & fidem, seu gratiam ad credendum, quam fidem præcipit.

16. Secunda propositio Semipelagianorum ex parte est vera, & catholica, ex parte falsa, & hæretica. Cornelius Iansenius, lib. 8.

de hæc. Pelag. cap. 2. & 3. & lib. 3. de gratia Christi, cap. 3. docet Semipelagianos errasse, dicendo gratiam Christi, & salutem omnibus adultis ratione vtentibus sine exceptione propositam, ita vt omnes accipiant gratiam sufficientem ad salutem, & præsertim ad legem naturalem obseruandam. Sed dicendum, quod certum est omnes habere gratiam sufficientem ad obseruanda præcepta, quando præceptis obligantur, alioquin obligarentur ad impossibile. Dicendum rursus non esse errorem, sed esse opinionem veram penè omnium Scholasticorum, quod omnes adulti ratione vtentes, etiam infideles, habeant gratiam proximè, vel remotè sufficientem ad obtinendam salutem, vt probatur etiam autoritatibus Augustini, & Prosperi, qui nunquam reiecerunt Semipelagianos quoad hoc punctum.

17. Error igitur illius secundæ propositionis consistit in hoc, quod Semipelagiani dicebant gratiam, & salutem dari vt pedissequā naturæ, adeoque illis solum, qui per vires naturæ voluerunt credere. Hic error reijcitur: nam de facto, vt constat Act. 10. Sancto Paulo gratia, per quam factus est fidelis, data est, cum volebat in Christum credere, sed volebat Christum persequi: ergo gratia non datur ijs tantum, qui per vires naturæ volunt credere.

18. Cassianus hoc argumento conuictus coll. 13. cap. 11. mediam quandam sententiam sequutus docuit, aliquibus gratiam Christi dari, qui per vires naturæ præueniunt gratiam, & volunt credere, & hoc pacto datam fuisse Zachæo, & latroni in cruce, qui, verba sunt Cassiani: *desiderio suo vim quamdam regnis Cælestibus inferentes, specialia vocationis monita præueniunt; aliquando dari ita, vt gratia præueniat bonam hominis voluntatem, & hoc pacto datam fuisse Paulo. Sed hæc opinio reijcitur omnibus fundamentis ex Augustino allatis paulo ante. Confutata est etiam à Prospero, lib. contra coll. & damnata est Can. 8. concil. Arausic. in quo dicitur: *si quis alios misericordia, alios verò per liberum arbitrium ad gratiam baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus*; & can. 25. dicitur: *unde manifestissimè credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam prouocauit, & centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachari, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuina largitatis donum.**

19. Tertia propositio, per quam Semipelagiani dicebant posse homines, supposita externa prædicatione Euangelij, per vires naturales liberi arbitrij credere, prout oportet, atque in fide, quæ deinde per Dei gratiam fit augenda, perseverare, est hæretica: siquidem sine gratia non possumus credere, prout oportet, & damnata est can. 7. Arausicani, in quo dicitur: *Si quis per natura vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vite æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere, sine salutari, idest Euangelicæ*

prædicationi consentire posse. confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu.

20. Debet aduerti particula illa, ut expedit, & æquivalens, prout oportet, qua utitur etiam Tridentinum sess. 6. can. 3: Certum enim videtur, quod audita prædicatione Euangelij, potest aliquis per vires naturales credere, prout non oportet, hoc est fide aliqua merè humana, non salutari, sed vitiosa, & mala, quæ velit credere, & baptizari, ut deinde ex gr. pecunia emat gratiam faciendi miracula, & dandi Spiritum Sanctum, ut fortasse fecit Simon magus, act. 8. ergo auxilium gratiæ est necessarium ad credendum, non utcumque, sed fide salutari, & prout oportet.

21. Quæritur, vtrum audita prædicatione Euangelij, possit quis sine auxilio gratiæ credere fide purè naturali, ac moraliter bona. Affirmant aliqui, alij negant, sed de hoc puncto agendum est alibi.

22. Quarta propositio continet plures errores. Primus est, quod Deus prædestinauerit ad primam gratiam dandam in præmium fidei habitæ ex viribus naturæ, quod est erroneum; siquidem Deus prædestinat ad primam gratiam dandam omninò gratis. Secundus est, quod Deus fidem initialem non prædestinauerit ut à se donandam, sed solum præsciuerit, ut à nobis faciendam per vires naturæ, quod est pariter erroneum. Nam Deus omnes actus salutares, & bonos non solum præsciuit, ut à nobis liberè faciendos, sed etiam prædestinauit, ut ab ipso Deo donandos, iuxta illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti*; solos actus malos Deus non prædestinauit, ut à se donandos, quia illos non dat, sed solum præsciuit, ut à nobis faciendos, Deo permitte. In sacris igitur literis omnes monentur, ut credant, quia possunt credere, non per vires naturæ, ut dicebant Semipelagiani, sed per vires gratiæ: Deus autem, cum proponitur Euangelium, non negat gratiam sufficientem, qua possint audientes credere, & credendo, impetrare vltiorem gratiam ad obseruanda præcepta, & ad salutem obtinendam.

23. Quinta propositio, per quam rejiciunt prædestinationem ab Augustino prædicatam, partim est hæretica, partim falsa. Primo Augustinus docuit prædestinationem ad primam gratiam non supponere præscientiam absolutam fidei, vel alterius meriti, cui retribuatur prima gratia, & hoc est de fide. Cum enim prima gratia detur, nullis præcedentibus meritis, Deus prædestinauit ad primam gratiam, non supposita scientia absoluta vllius meriti, adeoque hæreticè Semipelagiani hoc negabant, ac dicebant Deum prædestinasse ad primam gratiam, ex præscientia absoluta fidei naturalis. Secundo Augustinus docuit etiam prædestinationem ad gloriam dandam ex meritis gratiæ non supponere scientiam absolu-

tam vllius meriti, quod licet sit verum, dixi lib. 2. de Deo, qu. 71. de prædest. tamen non est de fide, cum plurimi auctores docent prædestinationem ad gloriam supponere præscientiam absolutam meritorum, ideò hoc punctum spectat ad profundiores quæstiones, quas, ut dicit Cælestinus Papa in fine ep. ad Epif. Gall. *Non necesse habet adseruere.*

24. De fide igitur est, quod Deus, præcedente præscientia absoluta meritorum ex eadem massa perditionis cum æqualibus demeritis quosdam misericorditer eligat gratiam efficacem, per quam credant, quosdam non eligit ad hanc gratiam efficacem iuste relinquit in massa perditionis. De fide, quod ex iustificatis etiam habentibus æqualia demerita quosdam eligit ad gratiam efficacem, per quam perseuerent vsque in finem, & non peccare, & in peccato morientes damnentur, fide est, quod ex lapsis etiam habentibus æqualia demerita, quosdam efficaciter eligat ad iustificationem, quosdam non eligit, sed mittit perseuerare finaliter in peccato. Si dicitur, quare Deus ad hæc dona vnum tantum liter eligat præ alio, respondet Augustinus lib. de dono Perseu. cap. 8. cum Apostolo Rom. 9. *O homo tu quis es, qui respondes? Nunquid dicit figmentum ei, qui se fecit: cur me si sic?*

25. Opponebant primo, quod hæc prædestinatio ab Augustino prædicata esset contra sensum Ecclesiæ, & antiquorum Patrum.

26. Respondet lib. de dono Perseu. cap. 2. Augustinus, quod hanc prædestinationem gratiam nunquam Ecclesia tacuit in precibus, etsi aliquando in sermonibus exerendam, nullo sermone cogente, non putauit. Cum enim Ecclesia semper orauerit pro fide infidelium, pro uersione peccatorum, pro perseuerantia iustorum, semper credidit fidem, conversionem, & perseuerantiam finalem esse dona Dei, ac proinde Deum ab æterno aliquando prædestinasse ad hæc dona accipienda, non prædestinasse, pro sua libera, & iustissima voluntate: sed hæc est prædestinatio ab Augustino asserta; ergo Ecclesia semper docuit prædestinationem ad gratiam, quam prædestinationem Augustinus asseruit.

27. Opponebant secundo, quod sub nomine prædestinationis inducitur quædam talis necessitas.

28. Respondeo, quod tunc prædestinatio induceret necessitatem, quando auferretur liberi arbitrij; sed hunc non auferit; ergo. Ex eadem ratione lapsus non auferit rationabilem curam resurgendi, nec sanctis offert rationabilem occasionem torporis, sicut pro aduersarios infallibilitas, quam concedit diuinæ præscientiæ, non auferit lapsis rationabilem curam resurgendi, nec sanctis, ac iustis offert rationabilem occasionem torporis.

29. Opponebant tertio, quod hæc prædestinatio

na, etiam si esset vera, non esset prædicanda, quia est contraria ædificationi audientium, & plus desperationis, quam exhortationis affert.

30. Respondet primo Augustinus lib. de dono perseu. cap. 14. Paulum Apostolum illam, in suis Epistolis prædicasse. Respondet secundo eodem lib. cap. 17. grauiissimis verbis dicens. *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis potius cogitandum relinquo, ut videant, quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicationem prædestinationis, audientibus plus desperationis, quam exhortationis asserre. Hoc enim est dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam, non in se ipso, sed in Deo didicerit ponendam, cum Propheta clamet, maledictus homo, qui spem ponit in homine.* Idem respondet infra, cap. 22. & lib. 1. de præd. Sancti. cap. 11.

31. Sexta propositio, per quam aliqui Semipelagianorum nomine gratiæ præuenientis omnia merita, intelligebant ipsum liberum arbitrium, coincidit cum 7. errore Pelagij reiecto conclusione 5. qu. 14. ideoque nihil est addendum.

32. In septima propositione prima pars, in qua dicebant Deum omnes homines vocare ad salutem, est vera, ut dictum est, agendo de secunda propositione. Secunda pars, in qua dicebant, quod sicut aliqui per vires naturales sunt inobedientes, & dissentiunt Evangelio, quia nolunt credere, & obedire, sic aliqui per vires purè naturales sunt obedientes, & consentiunt, prout oportet, quia volunt, est hæretica, ut dictum est, agendo de secunda, & tertia propositione. Qui enim obediunt, & consentiunt Evangelio, obediunt quidem, & consentiunt, quia volunt, sed volunt ex viribus gratiæ, non autem ex folis naturalibus. Tertia pars, in qua dicebant, quod unusquisque ex viribus naturalibus quantum potest ad malum, & ad peccandum, tantum potest ad bonum, & ad obseruanda præcepta, est hæretica, & continet quintum errorem Pelagij relatum supra, quod nimirum sicut per vires naturales possumus transgredi omnia præcepta, sic per easdem possumus implere omnia præcepta. Cum igitur aliquis obligatur præcepto, præsertim supernaturali, potest per vires naturales sine auxilio gratiæ illud transgredi: at per vires naturales sine auxilio gratiæ non potest illud implere. Explicatur exemplo. Si Deus daret alicui alas, & præciperet volatum, posset ille præceptum transgredi, & non volare, sine auxilio alarum: at non posset præceptum implere, volando, sine auxilio alarum. Quia verò Deus non præcipit impossibilia, non potest præcipere volatum, nisi det, vel offerat auxilium alarum: & proportionaliter non potest proxime obligare præcepto, nisi det, vel offerat gratiam sufficientem ad illud implendum.

33. Octava propositio, in qua dicebant, infantes, qui baptizati moriuntur, & saluantur, obtinere salutem in præmium, merito-

rum, quæ fecissent, si vixissent, ac proportionaliter infantes, qui moriuntur sine baptismo, damnari in pœnam peccatorum, quæ non fecerunt, sed fecissent, est hæretica, & absurdissima, & reijcitur ab Augustino, lib. 1. de præd. Sancti. cap. 2. & seq. & lib. de dono perseu. cap. 9. 10. & 13.

34. Arguit igitur primo, lib. de præd. Sancti. cap. 12. Nemo à Deo recipit præmium, aut pœnam, pro ijs, quæ nunquam fecit, aut faciet, sed solum esset facturus sub aliqua conditione, ideoque Apost. ad Cor. 2. 5. dicit: *Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum.* Quomodo ergo potuit talibus viris in mentem venire, ut futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita paruulorum?

35. Arguit secundo cap. 13. Nam si Deus potest per negationem baptismi punire peccata conditionatè futura, posset etiam per baptismum dimittere peccata conditionatè futura; ergo dum contra Pelagianos probatur paruulos nasci obnoxios peccato originali, ex eo, quod baptizantur in remissionem peccatorum, Pelagiani posset respondere, paruulos baptizari in remissionem peccatorum conditionatè futurorum, adeoque ex baptismo paruulorum non ostendi peccatum originale; quod tamen nunquam Pelagiani ausi sunt dicere propter eius absurditatem.

36. Arguit tertio cap. 14. eiusdem lib. Nam Sap. 4. dicitur, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius;* sed si homo posset puniri pro peccatis, quæ faceret, si diutius viueret, nihil proderet illum rapti, ne talia peccata committeret, siquidem nihilominus esset reus criminum conditionatè futurorum; ergo &c.

37. Respondebant Semipelagiani librum Sapientiæ non esse canonicum. Reijcit Augustinus hanc responsionem, tum quia constat librum Sapientiæ esse canonicum ex eo, quod ut canonicus ab antiquissimis temporibus legebatur in officiis ecclesiasticis, & citabatur ab antiquis Patribus, tum quia nemo potest dubitare, quod si Iudas, & alij peccatores rapti fuissent, dum erant in statu gratiæ, fuissent saluati, & tamen debuissent damnari, si homo iudicatur pro peccatis, quæ fecisset, si diutius vixisset; ergo &c.

38. Arguit quarto lib. de dono perseu. cap. 9. Si enim homines posset recipere præmium, & pœnam pro meritis conditionatè futuris, frustra tantis laboribus Sanctorum fuit prædicatum, & prædicatur Evangelium. Nam etiam non prædicato Evangelio, posset Deus homines iudicare secundum contumaciam, vel obedientiam, quam præsciuit homines habituros fuisse, si Evangelium audissent.

39. Arguit quinto ibidem. Nam Luc. 10. Christus dicit, quod *si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio penitentiam egissent;* ergo Tyrii, & Sidonij non deberent damnari, sed à damnatione

tione liberari propter poenitentiam conditionate futuram: & tamen Christus ibidem dicit: *Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sidonij remissus erit in die iudicij; seuerius ergo punientur isti, hoc est Iudaei, ac illi, hoc est Tyrii, & Sidonij remissius, sed tamen punientur.*

40. Iisdem argumentis rejicitur secunda pars propositionis, qua Semipelagiani dicebant vni genti praedicari Euangelium in praemium conuersionis conditionate prauiſa, alteri negari praedicationem Euangelij in poenam incredulitatis conditionate prauiſa, ne Deus sit acceptor personarum. Praeterea exemplo allato Tyriorum, & Sidoniorum constat hoc esse falsum. Nam Iudaeis praedicatum fuit Euangelium, licet Deus sciret illos non esse credituros; Tyrijs non fuit praedicatum, licet Deus sciret illos fuisse credituros, & poenitentiam acturos, si praedicaretur; ergo ratio, cur vni genti praedicatur Euangelium, non alteri, non est quam afferebant Pelagiani, sed referenda est ad occulta iudicia Dei, qui dat gratiam non secundum merita, sed prout voluerit, iuxta doctrinam Apostoli ad Rom. 9.

41. Debet aduerti Augustinum manifeste admittere Deum habere scientiam meritum conditionatorum, ac solum negare Deum dare praemium, aut poenam pro meritis conditionate futuris.

42. Nonam propositionem Iansenius docuit esse hereticam, quatenus asserit Christum mortuum esse pro omnibus, etiam reprobis, ac non pro solis praedestinis, ac Deum velle omnes saluos fieri, si per ipsos, vel parentes, aut Adamum non steterit, ac proinde dare omnibus adultis ratione vtentibus gratiam proximè, vel remotè sufficientem ad salutem. Sed haec Iansenij doctrina damnata est vt haeretica ab Innocentio X. adeoque de fide est Christum mortuum esse pro omnibus, etiam reprobis, & infidelibus, ac non pro solis praedestinis, iuxta illud Apostoli 1. ad Tim. cap. 2. *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, aequaliter*, Deus enim vult omnes homines saluos fieri, sed non aequaliter vult; nam praedestinos efficaciter vult saluari, ideoque dat illis gratiam efficacem, & perseverantiam finalem; reprobos vult saluari, si per ipsos non steterit, & dat illis gratiam pure sufficientem, efficacem ad salutem non dat, sed solum offert. Proportionaliter Christus mortuus est pro omnibus hominibus, sed non aequaliter quoad applicationem meritum. Nam pro praedestinis applicauit mortem suam ad obtinendam illis gratiam efficacem ad salutem, pro reprobis ad obtinendam solum sufficientem. Prima igitur ratio, cur vnus saluetur praeter alio, est specialis Dei misericordia, qua vnus praedestinat, & eligit praeter alio, & per gratiam facit, vt vnus praeter alio liberè perseueret in gratia, & iustitia vsque ad mortem, & obtineat vitam aeternam, vt explicabitur infra.

43. Circa decimam propositionem cer-

tum est dari definitum numerum praedestinatorum, qui numerus, supposita immutabili Dei voluntate efficaci saluandi hos, certo autem damnandi in poenam peccatorum, in sensu conposito cum tali voluntate, augeri potest, nec minui. Certum est potentia antecedenti, & in sensu diuiso ab divina praedestinatione numerum praedestinatorum posse augeri, vel minui. Semipelagiani, dum negabant certum numerum praedestinatorum, videntur negasse in Deo voluntatem specialem dandi aliquibus praeter alios perseverantiam finalem, & in hoc errabant, dicebant rursus iidem Semipelagiani perseverantiam finalem ita esse donum Dei, ut acceptum possit amitti. Sed hoc refutatur Augustino lib. de dono perseu. cap. 6. *si quis accepit perseverantiam vsque in finem, ergo non potest amplius amittere perseverantiam vsque in finem, siquidem iam perseverauit vsque in finem; si autem non perseverauit vsque in finem, non accepit perseverantiam vsque in finem. Perseuerantia igitur quae in finem potest amitti oblata, illam acceptando, & sic non perseuerando vsque in finem: at accepta non potest amplius amitti, ideoque vt ibidem loquitur Augustinus, donum Dei suppliciter emereri potest, sed contumaciter amitti non potest.*

44. Vndecima propositio, qua dicebatur quod prior est obedientia hominis, quam gratia Dei, & initium salutis in eo est, qui saluatur, non in eo, qui saluat, ita vt voluntas hominis diuinae gratiae sibi pariat operam, non gratia humanae sibi subiciat voluntatem, in hoc errore reiectos prima, & secunda propositione. Confirmat absurditatem huius propositionis August. lib. de praedest. Sanct. cap. 1. *Nam Dominus Ioan. 15. dicit: non vos elegistis, sed ego elegi vos, quia nimirum prius Deus eligit nos per gratiam, quam nos eligamus Deum per fidem, & obedientiam; sed si non esset nostra fides, & obedientia, quam gratia Dei, prius nos eligeremus Deum per fidem, & obedientiam, quam Deus eligeret nos per gratiam; ergo &c.*

45. Debet aduerti Semipelagianos non conuenisse in admittendis omnibus reprobis, sed quosdam omnes, quosdam autem quos tantum sequutos esse. Praesertim Iohannes Cassianus collat. 13. mediam quandam sententiam sequutus docuit primam gratiam aliquando praevinire, aliquando sequi primam bonam hominis voluntatem; aliquando gratiam ex aliquo merito, aliquando ante omniam operam; aliquando nos benè, & salutariter operari ex viribus gratiae, aliquando ex solis viribus liberi arbitrij; & iuxta haec principia cap. 14. collationis docuit Iob, non ex viribus gratiae, sed ex solis viribus arbitrij victoriam de diabolo retulisse. Ideo Prosper, lib. contra Iulianum, hanc decimam Cassiani definitionem rejicit dicens: *Si ipse Deus sciuit tantummodo quid Iob posset, non etiam donauit, vt posset, &c.*

*patientia exiit, non auxiliator fuit. Et in quo erit  
necessarium gratia adiutorium, si humanis solum vi-  
ribus tanta illa est parva victoria?*

QVÆSTIO LXVIII.

*Ostenditur auxilia præuenientia consistere præ-  
sertim in pia cogitatione, & sancta inspi-  
ratione, & concurrere ad actus salutaris,  
non solum moraliter, sed physice, immedia-  
te, & indiuisim cum libero arbitrio.*

1. **R**ecimus errores hereticorum, & contra eos ostendimus ad omnes, & singulos actus salutaris esse necessariam gratiam præuenientem. Sequitur, ut agamus de ipsa gratia præueniente, & explicemus, in quo consistat, & quo pacto concurrat cum libero arbitrio ad actus salutaris, & liberum arbitrium moueat, ac trahat, faciat, ut Deus operetur, discernat pium ab impio.

2. Dicendum primo: auxilia præuenientia ad actus salutaris præcipuè consistunt in pijs, & supernaturalibus cogitationibus, per quas apparet, & penetratur quod latebat, & in sanctis, ac supernaturalibus inspirationibus, & delectationibus, per quas suaue fit quod non delectabat.

3. Probatur primo ex Augustino lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 17. ubi dicit: *Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates.* Eodem lib. cap. 19. dicit. *Cum ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, persciendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat?* Idem docet innumeris alijs locis.

4. Probatur secundo ex Concilijs, quæ insistenti doctrinæ Augustini, auxilia gratiæ constituunt præsertim in illuminatione intellectus, qua cognoscimus, quid sit faciendum, & in inspiratione, hoc est pio motu voluntatis nobis inspirato, quo illud diligimus, eoque delectamur. Concilium Meleuitanum can. 4. dicit. *Cum utrumque sit donum Dei, & scire, quid scire debeamus, & diligere ut faciamus.* Idem ex Concilio Carthaginensi docet Cælestinus in epist. ad Episc. Galliæ cap. 10. Concilium Arausicum 2. can. 7. dicit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, vel eligere, siue salutaris, id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati, heretico fallitur spiritu; ergo auxilia gratiæ præsertim consistunt in illuminatione, & inspiratione dante suauitatem consentiendi.* Concilium Senonense decreto 15. de lib. arb. dicit. *Vt voluntas humana misericordie præuenientis auxilio suffulta, & interiori quodam, & occulto secretioris inspirationis afflatu contacta sese conuertat ad Deum; ergo auxilia gratiæ consi-*

stunt præsertim in diuinis inspirationibus; Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. agens de auxilijs gratiæ præuenientis dicit. *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; ergo auxilia gratiæ præuenientis constituit præsertim in illuminatione intellectus, & in inspiratione voluntatis.*

5. Probatur tertio: nam Deus per auxilia voluntatem mouet ad actus liberos, & salutaris eo pacto, quo voluntas secundum suam naturam apta est moueri; sed voluntas, cum sit appetitus rationalis, secundum suam naturam apta est moueri cognitione, qua penetret, quam bonum sit aliquid facere, & delectatione, qua delectetur tali bonitate, eamque diligat; ergo Deus voluntatem mouet ad actus salutaris, præsertim infundendo intellectui piam cogitationem, & cognitionem, qua penetret, quam bonum sit obseruare mandata, & actus salutaris exercere, & infundendo voluntati sanctam inspirationem, hoc est delectationem, & dilectionem, qua cum quadam suauitate diligat bonitatem obseruandi mandata, & exercendi actus salutaris.

6. Dices: Deus auxilia præuenientia operatur in nobis sine nobis; sed piam cogitationem, & sanctam inspirationem, cum fiat actus vitales, non operatur in nobis sine nobis, sed operatur nobiscum, concurrentibus vitaliter intellectu, & voluntate; ergo &c.

7. Respondeo ex doctrina tradita quæst. 10. num. 3. distinguendo maiorem; Deus auxilia præuenientia operatur in nobis sine nobis physice concurrentibus, nego; liberè cooperantibus, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Auxilia præuenientia singulos actus liberos salutaris consistunt in pijs cogitationibus, & sanctis inspirationibus, seu motibus voluntatis indeliberatis, ac nobis non liberis, qui præcedunt singulos actus liberos nostræ voluntatis, quibus illuminationibus, & inspirationibus Deus dicitur pulsare, inuitare, excitare, tangere cor, impellere ad electiones liberas salutaris; sed hos actus indeliberatos operatur in nobis sine nobis liberè operantibus, licet Deus illos operetur in nobis nobiscum physice, & vitaliter concurrentibus; ergo.

8. Quæres primo, utrum detur aliquod auxilium præueniens, quod Deus operetur in nobis sine nobis, etiam physice, & actuè concurrentibus?

9. Respondeo affirmatiuè contra Suarezium tom. 2. de gratia lib. 3. cap. 18. & 19. Ratio est, quia piæ cogitationes, & sanctæ inspirationes sunt actus vitales supernaturales indeliberati; sed per solas vires naturæ nõ possumus elicere actus supernaturales; ergo actus vitales indeliberati, in quibus consistunt piæ cogitationes, & sanctæ inspirationes, non eliciuntur per solas vires naturæ, sed ad illos eliciendos iuuamur viribus supernaturalibus gratiæ; sed licet de potentia absoluta possumus eleuari purè ex-

trin-

trinsecè ab Omnipotentia Dei, tamen connaturale est, vt eleuemur per aliquod auxilium, quo intellectus, & voluntas constituentur intrinsecè potentes elicere actus vitales supernaturales, vt dictum est lib. 1. de Deo, quæst. 26. num. 10. ostendendo necessitatem connaturalem luminis gloriæ ad videndum Deum; ergo de facto intellectus, & voluntas per aliquam qualitatem intrinsecam eleuantur ad eliciendos actus supernaturales indeliberatos, quam qualitatem Deus operatur in nobis sine nobis actiue concurrentibus.

10. Dices: sufficienter eleuamur ad tales actus supernaturales eliciendos per habitus infusos fidei, spei, charitatis, & virtutum moralium charitati annexarum.

11. Sed contra: nam tales actus supernaturales indeliberati sæpè eliciuntur ab infidelibus carentibus omnibus habitibus infusis, & à peccatoribus habentibus solum habitus fidei, & spei: rursus sæpè à fidelibus, & iustis eliciuntur ita, vt conseruent habitus infusos, adeoque, vt non possint pro eodem instanti temporis pendere efficienter ab habitibus infusis, ne detur mutua causalitas; ergo in omnibus istis casibus homo eleuatur ad actus indeliberatos supernaturales producendos, non per habitus infusos permanentes, sed per aliquam qualitatem transeuntem, quam Deus pro singulis opportunitatibus producit in nobis sine nobis actiue concurrentibus.

12. Quæritur secundo, vtrum gratia inspirationis, quæ spectat ad voluntatem, sit donum distinctum, & non inclusum in gratia illuminationis, quæ spectat ad intellectum.

13. Respondeo aliquos docere gratiam inspirationis esse donum inclusum in gratia illuminationis. Fundamentum est, quia donum, quod naturali necessitate consequitur ex alio dono natura priori, dicitur includi in dono priori: ex. gr. quia naturales proprietates naturali necessitate sequuntur ex substantia, & natura cuiuslibet rei, naturales proprietates dicuntur dona inclusa in dono creationis, per quod vnaquæque res accipit suam substantiã, & naturam; sed posito, quod intellectus per gratiam illuminationis cognoscat, & penetret, vt oportet, dona supernaturalia, naturali necessitate sequitur, quod voluntas ad illa inclinatur, iisque delectetur inclinatione, & delectatione proportionata cognitioni; ergo gratia inspirationis consistens in supernaturali delectatione, & inclinatione voluntatis ad bona supernaturalia est donum inclusum in gratia illuminationis.

14. Dicendum: in natura lapsa, & vulnerata gratia inspirationis, qua bonum supernaturale delectat, vt oportet, est donum distinctum à gratia illuminationis.

15. Probatur primo: nam S. Augustinus semper loquitur de illuminatione intellectus, & delectatione voluntatis, tanquam de donis distinctis; ergo &c. Probatur antecedens: lib. de Spiritu, & litera cap. 3. dicit. *Cum id, quod*

*agendum est, ceperit non latere, nisi etiam delectetur, ametur, non agitur, non suscipitur, non bene voluntur, ergo docet non sufficere gratiam illuminationis, qua bonum non lateat, sed requiritur tanquam nouam gratiam, vt bonum delectetur.* Lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. propè finem dicit. *Quis habet in potestate, vt vel occurrat, vel delectare possit, vel delectet cum occurrerit cum ego nos ea delectant, quibus proficimus in Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia; ergo ultra gratiam præ cogitationis, per quam occurrunt ea, quæ possunt delectare, requiritur vt noua gratia quod delectent.*

16. Probatur secundo, & simul soluitur argumentum in contrarium. Nam in natura lapsa voluntas nostra propter vulnera malitiae concupiscentiæ, & infirmitatis, ita est inclinata ad bona naturalia, & temporalia, & talia bonis adeo delectatur, vt licet intellectus diuinitus illuminatus cognoscat magnitudinem bonorum æternorum, & supernaturalium, perfectissimè ad illa inclinatur, iisque parat delectetur, & non iuxta proportionem illuminationis: ergo vt voluntas inclinetur, vt occurrat, ad bona æterna, & supernaturalia, illa delectetur, indiget noua gratia sanante ab illis tribus vulneribus. Ad fundamentum igitur oppositum neganda est minor, cuius falsitas ostensa.

17. Dicendum secundo cum Bellarmino, Molina, Valentia, & alijs, quos refert, & sequitur P. Sparia quæst. 17. de gratia contra Tannerum, Meracium, Amicum, & alios: auxilijs gratiæ concurrunt ad actus liberos, & liberos, non solum formaliter, intentionaliter, & moraliter, suadendo, & inclinando, sed etiam physice, & efficienter simul cum liberatore, producendo ipsos actus salutes.

18. Probatur primo: nam actus salutem facimus per vires gratiæ, & ita, vt non tam facile illos faciamus, quam gratia Dei nobiscum: iuxta illud Apostoli prima ad Corinthios, 5. *Ego autem, sed gratia Dei mecum*: sed si gratia non concurreret physice, sed solum moraliter, non faceremus actus salutes per vires gratiæ: ergo &c.

19. Probatur minor: nam si quis suadendo dirigat me ad pondus eleuandum, sed physice non adiuuet, non verificatur, quod eleuatum pondus per vires illius, sed potius verificatur, quod eleuo per vires proprias; si autem moraliter non solum suadeat, & dirigat, sed etiam physice adiuuet, verificatur, quod eleuatum pondus per vires illius, & quod non tam ego eleuatum, sed ille mecum eleuat: ergo si gratia solum moraliter concurrat ad actus salutes, suadendo, & inclinando, non autem physice adiuuando, non verificatur, quod facimus actus salutes per vires gratiæ, ita vt non tam nos faciamus, quam gratia Dei nobiscum.

20. Probatur secundo: nam licet, vt loquitur Trid. sess. 6. cap. 5. homo ipse non nisi omnino agat, liberè gratiæ assentiendo, & cooperando, tamen ita agit, vt Augustinus lib. 1. de

Gelis Pelagij dicat: *Qui autem agitur, agere ipse vix intelligitur*: sed si gratia solum moraliter, non autem physicè adiuuaret ad actus salutare, non saluaretur, quod homo vix ageret, eo pacto, quo cum alter solum suadet, & dirigit me ad eleuandum pondus, sed physicè non adiuuat, non saluatur, quod ego eleuando, pondus, vix agam; ergo gratia non solum moraliter, sed physicè adiuuat ad actus salutare.

21. Probatur tertio: nam vt refert Augustinus lib. de Gratia Christi, cap. 41. Pelagius tria distinguit, nimirum posse, seu potentiam, ac possibilitatem faciendi actus salutare, velle, & agere, seu adionem salutarem, ac docuit, verba sunt Augustini, *solum possibilitatem diuino semper adiuuari auxilio, voluntatem autem, & adionem nullo Dei adiutorio indigere*; Augustinus autem docuit, non solum potentiam, seu possibilitatem, sed etiam voluntatem, & adionem diuinitus adiuuari, ideoque cap. 47. concludit: *si, vt dixi consenserit Pelagius, ipsam etiam voluntatem, & adionem diuinitus adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nihil de adiutorio gratia, quantum arbitror, controuersa relinquetur*; sed Pelagius docens per gratiam adiuuari solum possibilitatem, non autem voluntatem, & adionem, nihil aliud potuit docere, quam gratiam adiuuare quidem potentiam, suadendo, facilitando, & inclinando ad actus salutare, at non adiuuare voluntatem, & adionem, ad ipsas physicè, & actiue concurrente; ergo Augustinus dicens gratiam non solum adiuuare potentiam, sed etiam voluntatem, & adionem, docet gratiam non solum adiuuare potentiam, facilitando, suadendo, & inclinando, sed etiam voluntatem, & adionem, ad illas immediatè, physicè, & actiue concurrente.

22. Probatur quartò: nam actus supernaturales non possumus physicè producere per solas vires naturæ; ergo ad illos eliciendos debemus eleuari diuino auxilio; sed vt dictum est conclusione 2. in responsione ad primum quæsitum, licet Deus possit de potentia absoluta eleuare purè extrinsecè per suam omnipotentiam, connaturale est, vt eleuet, dando vires intrinsecas ad actus supernaturales eliciendos, tales autem vires consistunt in auxilijs gratiæ; ergo auxilia gratiæ debent physicè nos eleuare, & adiuuare ad actus supernaturales producendos.

23. Obijcies: vt dictum est num. 2. auxilia gratiæ consistunt in actibus intellectus, & voluntatis indeliberatis, ac diuinitus nobis infusis à Deo; sed actus indeliberati intellectus, & voluntatis non concurrunt physicè, sed solum moraliter ad actus liberos delibatos; ergo &c.

24. Respondeo, nego minorem. Primo enim ego censeo etiam in naturalibus actus intellectus, & voluntatis indeliberatos concurrere physicè ad actus liberos, & delibera-

tos. Ratio est, quia vt dixi q. 26. Physicè agens de prioritate naturæ, quod ita prærequiritur ad aliquem effectum, vt illum assimilet sibi in multis prædicatis, prærequiritur non solum vt conditio, sed vt causa physicè, & actiue cõcurrente ad talem effectum; sed actus intellectus, & voluntatis indeliberati ita prærequiruntur ad actus deliberatos, vt illos assimilet sibi in multis prædicatis, pura in vitalitate, spiritualitate &c. ergo. Secundo pia cogitatio, & sancta inspiratio supernaturalis prærequiruntur ad actus deliberatos supernaturales, & assimilant illos sibi in prædicato supernaturalis: ergo immediatè, & physicè influunt. Addo, quod ad actus salutare physicè concurrunt etiam habitus supernaturalis permanentes, vel qualitas transiens, quæ complet intellectum, & voluntatem in ordine ad actus indeliberatos, vt explicatam est nu. 10. & 11.

25. Inferitur cum Abulensi Matth. 19. qu. 178. Bellarm. lib. 4. de Gratia, & lib. arb. c. 4. in quorum opinionem inclinatur etiam Suarius tom. 1. de Gratia, prologom. 5. c. 4. num. 8. contra Cornelium Iansenium in suo Augustino tom. 1. lib. 5. cap. 20. & 21. Pelagium, & Pelagianos negasse Deum concurrere immediatè ad actus liberos etiam concursu illo simultaneo, quem vocant generalem.

26. Probatur: nam vt dictum est qu. 63. num. 1. decimus error Pelagij fuit, quod non datur liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio; ergo Pelagius censuit hæc duo esse incompossibilia, quod aliquis actus sit liber creaturæ, & quod Deus debeat ad ipsam adiuuare, & concurrere, siquidem eo ipso, quod Deus concurrat, videbatur Pelagio suo concursu omnipotentem necessitate voluntatem creatam ad talem actum exercendum. Confirmatur primo ex S. Hieronymo epist. ad Cresiphontem, in qua refert doctrinam Pelagij per hæc verba. *Sic philosophatur, & disputat &c. Frustra dedit arbitrij potestatem, quam implere non potero, nisi ipse me semper adiuuerit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget.* Libro etiam tertio contra Pelagianos refert Pelagianum sic arguentem contra Catholicum. *Quomodo seruas liberum arbitrium, qui dicis hominem nihil posse facere, nisi Deus adiuuerit?* ergo, Pelagius putauit ad liberum arbitrium requiri, vt ad actus liberos exercendos non indigeat auxilio Dei.

27. Confirmatur secundo: nam idem Hieronymus ad Cresiphontem contra Pelagium dicit: *Audite quæso, audite sacrilegum: si inquit voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurre, sputa iacere &c. semper mihi auxilium Dei necessarium erit*; sed Catholici ad has actiones merè naturales dicunt requiri solum auxilium generalis concursus; ergo Pelagius negauit ad actiones liberas nos indigere auxilio etiam generalis concursus.

28. Confirmatur tertio: nam vt refert Augustinus lib. de Gratia Christi, & sequentibus,

licet Pelagius concesserit à Deo adiuuari potentiam liberam, semper negauit adiuuari voluntatem, seu volitionem, & actiones liberass: sed si Deus concurreret ad volitionem, & actiones liberass concursu generali, adiuuaret etiam voluntates, & actiones liberass; ergo Pelagius docuit Deum non concurrere ad vllum actum liberum vilo concursu, ne quidem generali.

29. Iansenius citato tom. 1. lib. 5. cap. 20. affert ex libris Augustini plura loca Iuliani Pelagiani, in quibus fatetur Deum esse auctorem omnium rerum, sed nullum affert locum, in quo fateatur Deum concurrere immediatè ad vllum actum liberum, adeoque ex hoc ipso infertur Pelagianos cum Magistro suo, nunquam concessisse Deum concurrere immediatè ad actus liberos.

30. Dicendum quarto: ad actus liberos, & salutare concurrunt immediatè non solum gratia, sed etiam liberum arbitrium, & concurrunt tamquam duæ causæ partiales producentes indiuisim eundem numero effectum.

31. Probatur primo: nam de ratione actus vitalis est, vt procedat immediatè à propria potentia vitali: ex. gr. de ratione visionis est, vt procedat immediatè à potentia visiva; sed actus liberi, & salutare sunt actus vitales voluntatis; ergo de ratione actuum liberorum salutarium est, vt procedant immediatè à voluntate, & à libero arbitrio, licet quia sunt actus vitales supernaturales, debeant procedere à libero arbitrio operante, non per solas vires naturæ, sed etiam per vires gratiæ, adeoque indiuisibiliter per voluntatem eleuatam, & adiutam gratia supernaturali, ita ut possimus dicere: *non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

32. Probatur secundo: nam Tridentinum sess. 6. cap. 5. contra hæreticos definit, quod homo diuinæ gratiæ assentiendo, & cooperando, non nihil omnino agit; sed hæretici cum dicunt hominem nihil omnino agere, asserunt hominem, cum exercet actus supernaturales, non præstare vllum influxum immediatum per voluntatem, sed solum mediatum, & vt quod, in quantum recipit gratiam, qua sola concurrunt immediatè, & vt quo ad actus liberos supernaturales; ergo Tridentinum definens hominem non nihil omnino agere definit hominem præstare aliquem concursum immediatum, licet ita paruum, vt homo non tam debeat dici aliquid agere, quam non nihil omnino agere, quia nimirum, vt dicit Augustinus, & vt magis explicabitur qu. 19. n. 1. & seq. *vix agit.*

33. Probatur tertio ex pluribus locis Augustini, quibus clarissimè docet, voluntatem præstare simul cum gratia aliquem concursum immediatum ad actus salutare. Lib. 2. de peccatorum meritis; & remissione, cap. 5. ait: *Adiutor enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* Tract. 4. in cap. 26. lo. *si dicis, adiutor meus esto, aliquid*

*agis: nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat te?* Psal. 68. *Qui enim adiuuatur, quid aliud ligat se ipsum agit.* Ly per seipsum, quid aliud ligat, quam quod agit immediatè, & vt quod Serm. 13. de verbis Apostoli: *dicit mihi aliquid ergo agimur, non agimus.* Respondeo: immo & ageris, & tunc bene agis, si à bono ageris. Sicut enim Dei, qui te agit, agentibus adiuuatur. Ipsum nomen adiutorij præscribit tibi, quod est aliquid agis. Et paulo post: *non enim adiuuatur ille, si nihil agat; non enim operator est ille, nihil cooperamini.*

34. Probatur quarto ex S. Thoma qu. 1. de Veritate art. 4. ad 12. vbi dicit. *Dicendum quod anima agit, disponendo se ad gratiam virtutis propria natura, sacramenta autem virtutis sed dispositio ad gratiam procul dubio actus supernaturalis; ergo S. Thomas dicit animam immediatè, ac virtute propria natura, non solius gratiæ, adeoque vt quod concurrere ad actus supernaturales, cum sacramenta concurrant ad gratiam solum virtutis diuinæ, purè vt quod, & sine influxu immediato. Idem S. Doctor 1. 2. qu. 109. art. 6. dicit: *Homini est preparare animam, quia facit per liberum arbitrium, sed tamen hoc non facit sine auxilio gratiæ; sed ly per liberum arbitrium significat influxum immediatum, & vt quod ergo. Eadem 1. 2. qu. 114. art. 3. & qu. 114. Veritate, art. 14. ad 1. dicit actus meritorum & obseruationem supernaturalium mandatum fieri quoad substantiam per liberum arbitrium, quoad modum per gratiam, quia mirum in quantum sunt actus vitales, voluntarij, & liberi, procedunt à libero arbitrio in quantum habent modum supernaturalium procedunt à gratia.**

35. Dices: ipsa vitalitas est supernaturalis; ergo non potest immediatè procedere potentia naturali.

36. Respondeo, distinguo consequentem: ergo non potest procedere à potentia naturali eleuante, & cooperante gratia, nego; non eleuante, & non cooperante gratia, concedo. Vitalitas supernaturalis procedit à libero arbitrio, gratia supernaturali cooperante, atque indiuisim coagente cum ipso libero arbitrio.

## QVÆSTIO LXIX.

*Explicatur, quo pacto Deus per pijs cogitationes, & sanctas inspirationes faciat, vt faciamus, agar nos, & det ipsum velle.*

1. Certum est, quod gratia præueniens cit; vt faciamus. Ideo Ezech. 27. dicitur: *Faciam, vt in præceptis meis ambulatis.* Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio docet Deum operari, vt velimus, ac det ipsum velle. Certum etiam est, quod gratia nos agit ad bene agendum, iuxta illud Ap. *Flol*

Hollad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.* Ideo Augustinus lib. de Corrupt. & Gratia, cap. 2. alludens ad citata verba dicit: *Intelligent se Spiritu Dei agi, ut quod agendum est, agant; & paulo post; Aguntur enim, ut agant.* Quæritur, quo pacto Deus per gratiam præuenientem faciat, ut faciamus, operetur ut velimus, det ipsum velle, & agat nos ad bene agendum?

2. Dicendum, quod Deus per pias cogitationes, & sanctas inspirationes facit, ut faciamus, operatur, ut velimus, dat ipsum velle, & agit nos ad bene agendum.

3. Probatur ex Augustino lib. de Spiritu, & littera, cap. 34. ubi dicit. *Attendant, & videant non ideo tantum istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, verum etiam, quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, siue per extrinsecas exhortationes &c. siue intrinsecas, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propria voluntatis est;* ergo iuxta S. Augustinum Deus agit, ut velimus, & ut credamus, intrinsecus visorum suasionibus, hoc est immittendo nobis cogitationes, & motus indeliberatos, qui suadendo, & delectando faciunt, ut velimus, & credamus, sed ita, ut possimus consentire, vel non consentire; sed has visorum suasionem vocamus pias cogitationes, & sanctas inspirationes; ergo Deus facit, ut velimus, & credamus, & operatur in nobis ipsum velle, & ipsum credere per pias cogitationes, & sanctas inspirationes.

4. Sed adhuc magis explicandum, quo pacto Deus per pias cogitationes, & sanctas inspirationes faciat, ut velimus, operetur in nobis ipsum velle, & donet ipsum liberum consentium, & agat nos ad bene agendum.

5. Dicendum, quod qui ex fine, ut alter aliquid faciat, aut velit, ponit medium imperii, vel suasionis, ex quo videt secuturum, ut ille faciat, & velit, eo ipso dicitur per imperium, vel suasionem facere, ut faciat, & velit; ex. gr. dominus per imperium dicitur facere, ut seruus faciat quod illi imperat; amicus per suasionem dicitur facere, ut amicus faciat quod illi suadet; sed Deus, quia vult, ut peccator ex. gr. conuertatur, ponit media non solum extrinseci præcepti, sed etiam intrinsecæ suasionis, nimirum pias cogitationes, & sanctas inspirationes, ex quibus videt peccatorem liberè conuertendum; ergo Deus à fortiori per cogitationes, & inspirationes congruas facit, ut peccator liberè conuertatur, & ut faciat actus bonos, præsertim cum piæ cogitationes, & inspirationes non solum moraliter, sed etiam physicè concurrant ad actus bonos, ac Deus per suam omnipotentiam immediatè concurrat ad actus bonos. Hinc sequitur, quod licet homo suadens solum moraliter faciat, ut amicus ex. gr. faciat quod suadet, Deus per pias cogitationes, & sanctas inspirationes non solum moraliter, sed etiam

physicè facit, ut faciamus actus bonos. In tantum enim homo suadendo solum moraliter facit, ut amicus aliquid faciat, quatenus suasio est causa solum moralis, non autem physica, ut amicus faciat quod suadet; sed piæ cogitationes, & sanctæ inspirationes congruæ sunt causa, non solum moralis, sed physica, ut faciamus actus bonos, siquidem physicè concurrunt ad producendos actus bonos, ut dictum est supra qu. 68. ergo Deus non solum moraliter, sed etiam physicè facit, ut faciamus actus bonos. Sequitur rursus, quod Deus physicè, & per se efficit in nobis actus bonos, eosque nobis donat, siquidem physicè, & ex intentione libera actus bonos nobis donandi, ad actus bonos immediatè concurrunt, eosque in nobis producit, nobis liberè cooperantibus.

6. Dices: quandoquidem gratia simul cum libero arbitrio concurrat ad actus bonos, quare potius dicitur gratia facere, ut liberum arbitrium faciat, quam è conuerso?

7. Respondeo, quod gratia ut quo facit, ut liberum arbitrium faciat, ideoque non tam gratia facit, ut liberum arbitrium faciat, quam Deus per gratiam facit, ut liberum arbitrium faciat, iuxta illud Ezechielis 27. *Spiritum meum ponam in medio vestrum, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ratio, quare Deus per gratiam facit, ut faciamus, non nos faciamus, ut Deus faciat, est, quia cum duo ita concurrunt ad aliquam actionem, ut vnus eorum ex intentione talis actionis ponat medium, ex quo videt infallibiliter sequituram talem actionem, ille dicitur non solum facere illam actionem, sed etiam per medium positum facere, ut alter concurrat ad illam actionem; sed Deus ita nobiscum facit omnes actus bonos, ut ex intentione actuum bonorum ponat media piæ cogitationis, & sanctæ inspirationis, ex quibus videt infallibiliter sequuturos actus bonos; ergo Deus per pias cogitationes, & sanctas inspirationes facit, ut faciamus actus bonos, adeoque gratia præueniens ut quo, Deus ut quod per gratiam præuenientem facit, ut faciamus actus bonos; nos è conuerso non facimus, ut Deus faciat. Ex opposita ratione Deus non facit, ut faciamus actus malos, quia non intendit, ut faciamus actus malos, neque ponit vllum medium, ut faciamus actus malos, sed ponit media piarum cogitationum, & inspirationum retrahentium ab actibus malis, videns liberum arbitrium non vsurum talibus medijs,

sed illis restitutum, & facturum actus malos, Deo purè illos permit-  
tente.

## QVÆSTIO LXX.

*Quo pacto in producendis actibus supernaturalibus præcipua partes sint gratiæ; & quo pacto Deus nos irahat, & moueat, & discernat pium ab impio?*

1. **C**ertum est, quod ad actus bonos, & salutare ita concurrunt gratia, & liberum arbitrium, ut præcipua partes sint gratiæ, & liberum arbitrium. Ideo Augustinus lib. de gestis Pelagij agens de secunda propositione Pelagij docet liberum arbitrium ita agi à gratia, ut vix agat, dicens; *Qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur, ut rectè agat. Qui autem agit, agere ipse vix intelligitur.* Quæritur, vtrum, & quo pacto id verificetur in nostra sententia.

2. Dicendum; verissimum est, quod ad actus bonos supernaturales ita indiuisim concurrunt gratia, & liberum arbitrium, ut præcipua partes sint gratiæ, & liberum arbitrium, & ut liberum arbitrium ita agatur, ut vix agat. Probatur, & explicatur exemplo. Ponamus, quod puer per suas vires sine auxilio gigantis possit solum mouere corpus, & pondus vnus libræ. Si cum auxilio gigantis moueat pondus mille librarum, puer potest dicere: *Non ego moueo, sed gigas mecum mouet, ita ut ego vix agam, & moueam;* sed liberum arbitrium sine auxilio, & viribus gratiæ potest solum facere actus merè naturales, qui exceduntur ab actibus supernaturalibus incomensurabiliter, & multo magis, quam vnum excedatur à mille; ergo liberum arbitrium cum per vires gratiæ facit actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ, comparatione gratiæ vix agit, ideoque etiam Tridentinum sess. 6. cap. 5. ut explicet, quam parum agat liberum arbitrium comparatione gratiæ, dicit, *ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens.* Dum dicit, quod *homo ipse non nihil omnino agit,* insinuat hominem comparatione gratiæ tam parum agere, ut vix agat, licet possit gratiæ non consentire, & non agere.

3. Quo pacto liberum arbitrium ita agatur à gratia, ut vix agat, & tamen, ut dicit Tridentinum, possit gratiæ resistere, ac dissentire, & non agere, explicari potest allato exemplo gigantis mouentis pondus mille librarum simul cum puero. Potest gigas ita iuuare puerum ad mouendum pondus mille librarum, ut etiam regat, & moueat manum pueri, ita tamen attemperando totam hanc actionem, ut puer possit impedire, & resistere, ne gigas moueat manum pueri, & si impediat, ac resistat, non sequatur motus; sed in hoc casu puer ita adiuuatur, & agitur ad mo-

uendum, ut vix agat, & moueat, & tamen possit resistere, & impedire, ne agatur, & moueat; ergo &c. Proportionaliter Deus per pias cogitationes, sanctas inspirationes, & simultaneum concursum adiuuat, & agitur liberum arbitrium ad actus supernaturales, ut gratiæ vix agat, & tamen possit non agere, resistere, & impedire, ne agatur.

4. Sequitur, ut explicemus, quo pacto Deus per gratiam trahat homines, iuxta illud Christi Io. 8. *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum.*

5. Dicendum, quod Deus trahit homines pias cogitationibus, & sanctis inspirationibus.

6. Probatur primo; nam Deus trahit homines ad Christum ostensione, & delectatione boni; sed ostensio boni consistit in purgatione, & illuminatione intellectus, & attractio de bono consistit in sancta inspiratione voluntatis; ergo &c. Probatur maior; Christus enim Ioannis 6. cum dixisset: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* iuxta scriptum est enim in Prophetis, & erunt omnes discipuli Dei. *Omnis, qui audit à Patre, & accipit, venit ad me.* Quæ verba explicans Augustinus tract. 26. in Io. dicit. *Ecce quomodo Deus trahit; docendo delectat, non necessitatem imponit. Ecce quomodo trahit, & erunt omnes discipuli Dei; ergo Deus trahit interiori doctrina, illum in deo intellectum, & inspirando voluntatem ad operationem boni.* In eundem sensum multo post Augustinus explicans eadem tract. dicit. *Quomodo voluntate credo, si trahitur? dico: parum est voluntate, etiam voluptate trahitur. Si Poeta dicere licuit, trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed attractio, quanto fortius nos dicere debemus trahitur neminem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delictatur iniustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? Et infra: *illa reuelatio, ista est attractio. Ramum viridem ostendit ovi, & trahit illum; nuce puero demonstrat, & trahitur &c.* Si ergo ista, quæ inter delectationem voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahitur quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas, non trahit reuelatus Christus à Patre? Quid magis fortius desiderat anima, quam veritatem? ergo Augustinum Deus trahit hominem ostensione, & delectatione boni. Idem docet S. Thomas Comment. in Io. lect. 3. in caput 6. explicans citata verba Christi.*

7. Probatur secundo; nam Deus omnino mouet, & trahit congruenter ad suam naturam, ut docet S. Thomas quæst. 23. de Veritate, art. 2. & 2.2. quæst. 52. art. 4. & alibi factum, sed modus congruus naturæ rationali, ac liberæ est, ut trahatur intentionaliter ostensione, & delectatione boni, ideoque S. Thomas caput 6. Ioan. lect. 3. dicit, quod *modus ostendendi est congruus, quia Deus trahit, reuelando, & docendo; ergo Deus trahit ostensione, & delectatione boni, cui licet possit resisti, videtur factum non resistendum à libero arbitrio, ideoque*

que Concilium Senonense decreto 15. dicit: trahit quidem Deus, sed in eius odorem currimus, non vi, non vnco raptamur.

8. Ex hac doctrina patet primo, quo pacto Deus per cogitationes, & inspirationes trahat fortiter, & suauiter, iuxta illud Sap. 8. *Attingit à finē vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter.* Trahit suauiter, quia trahit modo congruo naturæ rationali, ac liberæ, hoc est ostensione, ac delectatione boni, quibus possit resisti. Trahit fortiter, quia trahit per pias cogitationes, & inspirationes, cum quibus cognoscit de facto coniungendum esse non dissentium, sed consensum, quo voluntas sponte currat ad Deum trahentem.

9. Patet secundo solutio quæstionis, quam Augustinus lib. 2. contra Petilianum, cap. 84. proponit, dicens. *Quomodo attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit eligat? & tamen utrumque verum est.* Dicendum, quod Deus trahit, & quidem fortissimè ostensione, ac delectatione boni, cum qua videt hominem sponte, & liberè venturum, & simul ita trahit, vt dimittat, vt homo eligat quod vult, & veniat, vel non veniat ad trahentem, vt libuerit, quia trahit ostensione, & delectatione boni, quibus voluntas potest resistere, ac dissentire, si velit.

10. Demum quæritur, quo pacto verificetur, quod homo non discernat se ipsum, sed discernatur à Deo per gratiam, iuxta illud Apostoli 1. ad Corint. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* & iuxta illud Augustini lib. de Correctione, & Gratia cap. 7. *discernuntur autem non meritis suis, sed gratia Saluatoris.*

11. Respondeo certum est fidelem discerni ab infideli per hoc, quod fidelis credat, infidelis non credat; eum, qui conuertitur discerni ab eo, qui non conuertitur, per hoc, quod alter conuertitur, alter non conuertitur; perseverantem discerni à non perseverante; per hoc, quod alter perseverat, alter non perseverat. Hinc sequitur, quod si, vt dicebant Pelagiani, actus credendi, nos conuertendi, perseverandi &c. habemus à nobis ipsis per vires naturæ, & non à Deo per vires gratiæ, ipsi nos ipsos discernimus, & non Deus nos discernit, ideoque possumus de his gloriari, quasi non acceperimus. Si autem Deus non solum dat nobis potentiam credendi, nos conuertendi, & perseverandi, & quoslibet actus salutares exercendi, sed etiam per gratiam dat nobis omnes, & singulos actus salutares credendi &c. Deus nos discernit, dando actus, per quos discernimur. Patet ex ipsis verbis Apostoli. Quia enim quidam ex Corinthiis gloriabantur de fide, & alijs actibus bonis, quos exercebant, Apostolus ad retundendam eorum superbiam, interrogat: *Quis enim te discernit? & vt loquitur S. Augustinus contra duas Epistolas Pelagiano. um, cap. 7. post medium, tanquam respondisset: discernit me fides mea, propositum meum, meritum meum; quid enim habes, inquit,*

*quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis, hoc est quasi de tuo sit, unde discernis? ergo ille discernit, qui vnde discernaris, impertit.* Hactenus Augustinus. Ergo iuxta Apostolum, & Augustinum, eo ipso, quod omnes, & singulos actus bonos non habemus à nobis ipsis per vires naturæ, sed acceperimus à Deo per gratiam, Deus nos discernit, dando nobis actus salutares, quibus discernamur; sed in nostra sententia saluatur, quod omnes, & singulos actus bonos non habemus à nobis per vires naturæ, sed à Deo per gratiam; ergo saluatur, quod non ipsi nos discernimus, sed Deus nos discernit, ac proinde non possumus de villo actu salutari gloriari, quasi illum non acceperimus à Deo per gratiam.

12. Dices: ideo discernimur à Deo, quia actus bonos habemus à Deo liberè illos donante; sed actus bonos habemus etiam à nobis ipsis liberè illos elicientibus; ergo etiam discernimur à nobis ipsis.

13. Respondeo, distingo maiorem; ideo discernimur, quia actus bonos accipimus à Deo liberè illos donante, & faciente, vt eosdem liberè eliciamus, concedo; & non faciente hoc, nego; & distingo minorem; sed actus bonos habemus etiam à nobis ipsis liberè illos elicientibus, Deo per gratiam præuenientem faciente, vt illos liberè eliciamus, concedo; Deo hoc non faciente, nego; & nego consequentiam. Deus nos discernit, quia liberè dat nobis omnes, & singulos actus bonos, quibus discernimur, & liberè facit, vt illos eliciamus; sed nos licet liberè eliciamus actus bonos, non facimus, vt Deus per gratiam præuenientem, illos liberè nobis donet; ergo simpliciter, & absolutè non nos discernimus, licet possit admitti, quod secundariò nos discernimus, Deo faciente, vt nos discernamus, adeoque primariò discernente.

14. Ex dictis patet etiam, quo pacto verificetur dictum Apostoli ad Roman. 5. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Ratio est, quia ita liberè volumus, & currimus, vt Deus per suam gratiam, & misericordiam faciat, vt velimus, & curramus; ergo quod volumus, & currimus, non tam debet tribui nobis, quam Deo, qui facit, vt velimus, & curramus. Propter hoc ipsum verum est, quod dicit Augustinus lib. de Gratia, & libero Arbitrio, quod *non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* In eodem sensu idem Augustinus lib. de Correctione, & Gratia cap. 7. dicit: *Discernuntur, non meritis suis, sed gratia Saluatoris.* Propositio enim habet sensum formalem, & significat, quod discernuntur non meritis suis, tanquam meritis suis, sed tanquam gratia Saluatoris.

15. Infertur, quod qui conuertitur, consentit, ac bene agit, accipit maiorem gratiam, quam qui non conuertitur, ac non consentit, nec bene agit. Probat: nam qui conuertitur, ac consentit, & bene agit, non solum accipit potentiam consentiendi, & bene

agen.

agendi, ac se conuertendi, sed etiam accipit ipsum actum consentiendi, se conuertendi, ac bene agendi; ac non solum accipit auxilium praeueniens, quo potest conuerti, sed etiam accipit auxilium comitans, seu cooperationis, quo de facto conuertitur; sed qui accipit non solum posse, sed etiam bene agere, & non solum auxilium praeueniens, sed etiam auxilium cooperationis, procul dubio accipit maiorem gratiam, & maius auxilium, quam qui accipit solum posse, non autem bene agere, & solum auxilium praeueniens, non autem auxilium cooperationis; ergo &c. Quia verò de fide est, omnes actus bonos, & salutare esse dona Dei, iuxta illud Apostoli I. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* & iuxta illud Cælestini in epist. ad Episcopos Gallia: *Tanta enim est erga homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona;* idè de fide est eum, qui bene operatur, simpliciter, & absolute accipere maiorem gratiam, quam qui non bene operatur.

16. Addo, quod qui conuertitur, & consentit, semper praeuenitur gratia formaliter, & moraliter maiori, quam qui non conuertitur, & non consentit.

17. Probat: nam gratia formaliter, & moraliter maior est, quæ datur maiori amore, ideoque vt docet S. Thomas I. par. q. 38. art. 2. in corpore, amor est primum donum; sed auxilium praeueniens datum consentienti datur maiori amore, quam quod datur non consentienti; ergo auxilium praeueniens datum consentienti semper est formaliter, & moraliter maior gratia. Probat: minor amor, quo auxilium datur, intendendo efficaciter ipsum consensum, est maior, quam quo datur auxilium, licet videatur non sequitur consensus, & permittendo, vt non sequatur consensus; sed consentienti auxilium datur, intendendo efficaciter consensum, non consentienti datur, licet videatur non sequitur consensus, & permittendo negationem consensus; ergo &c.

## TRACTATUS X.

### De gratia habituali sanctificante, & iustificante, ac de iustificatione.

S. Thomas I. 2. quæst. 110.



VM Tractatu nono egerimus de gratia actuali, sequitur vt Tractatu decimo disputemus de gratia habituali sanctificante, & iustificante, ac de ipsa iustificatione, & de habitibus, quibus iusti formaliter sanctificantur, & iustificantur. Primo igitur à quæstione 71. vsque ad 77. agemus de habitibus virtutum supernaturalium, tum per se infusarum, tum acquiritarum, tum theologiarum, tum mora-

lium, ac de eorum necessitate, & existentia, & explicabimus, quo pacto actus, & habitus supernaturales differant ex obiecto formaliter ab actibus, & habitibus supernaturalibus. Secundo quæstione 78. & 79. examinabimus, vtum gratia sanctificans sit habitus realiter distinctus à virtutibus supernaturalibus, & profertim à charitate, & vtum præter gratiam sanctificantem, & virtutes infusas dentur doni Spiritus Sancti, quæ sint habitus supernaturales distincti à virtutibus. Tertio quæstione 80. & 81. agemus de ipsa iustificatione, examinabimus, vtum hominis sanctificationis, & iustificationis fiat per qualitatem creaturæ permanentem, & intrinsecam animæ, & actus perfectæ charitatis, & contritionis sit forma iustificans, vel pura dispositio ad iustificationem. Quarto à quæstione 82. vsque ad 87. agemus de eadem iustificatione, in quantum est remissio peccati, & examinabimus, vtum peccatum mortale possit quoad culpam remitti per condonationem purè extrinsecam virtutum possit remitti in eo instanti, quo fit vtum peccatum personale possit remitti sine retractatione peccatoris; vtum vnum peccatum mortale possit remitti sine alio: vtum peccata remissa per subsequens peccatum redeant, vel redire possint quo ad culpam, & poenam; & vtum cum remittitur peccatum merita reuincant, & recuperentur gratia, & virtutes.

## QVAESTIO LXXI.

*Vtrum homini eleuato necessarij sint habitus virtutum supernaturalium?*

1. **V**identur non esse necessarij: primo quia si essent necessarij, maximè ad exercendos actus supernaturales, & meritorios vite aeternæ, quales sunt actus credendi, sperandi, amandi Deum &c. sed ad hunc finem non sunt necessarij habitus virtutum supernaturalium; ergo &c. Probat: minor: nam ad exercendos actus supernaturales omnium virtutum sufficiunt auxilia actualia diuinæ gratiæ; idè quæ peccatores carentes habitibus supernaturalibus charitatis, & virtutum moralium, per auxilia actualia excitentur, & adiuuentur à Deo, possunt exercere quoslibet actus supernaturales.

2. Secundo proportionali modo homini eleuato ad finem supernaturalem sunt necessarij habitus virtutum supernaturalium, ac homini puro, hoc est ordinato ad finem naturale, fuissent necessarij habitus virtutum naturalium; sed homini puro habitus virtutum naturalium non essent ita necessarij, sine illis non potuisset consequi finem naturalem: siquidem si mortuus fuisset innocens, antequam acquisiuisset vllum habitum virtutum naturalium, consequutus fuisset suum vltimum finem, hoc est felicitatem naturalem; ergo à pari.